A C T A.

IN CONSISTORIO SECRETO

HABITO

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

P I O

DIVINA PROVIDENTIA

PAPA SEXTO

Feria VI. Decembris MDCCLXXVIII.


SOLEMNI DOMINICÆ NATIVITATIS DIE

STATIM POST MISSAM PONTIFICALEM

IN BASILICA VATICANA

Prope B. M. V. de COLUMNA, & S. LEONIS MAGNI Altaria
Qui locus nunc pro Sacrario est, nondum novo,
quod construitur, absoluto.






ROMÆ, MDCCLXXVIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.



VENERABILES FRATRES



UAM bonum ſit confidere in Domino, VENERABILES FRATRES, ſplendidiſſimum exhibet argumentum ea, quæ inter ſævientes procellas aura prodiit ſecurior, ob quam repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. *Juſta enim & rationabilis eſt cauſa gaudendi*, ait Leo Magnus, *cum a Sacerdotibus Domini ea geſta cognoſcimus, quæ & paternorum canonum regulis, & apoſtolicis congruunt inſtitutis*. (*a*) Magno munere Divinæ Miſericordiæ multiplicata ſunt gaudia totius Catholicæ Eccleſiæ: Quippe ſtudio Venerabilis Fratris Clementis Wenceslai Ar-

(*a*) *Epiſt. 35. part. 2, Oper. Edit. Tyrnav. 1767.*

chiepiſcopi Trevirenſis, & S. R. I. Principis Electoris, quem ſine ſumma laude nominare non poſſumus, perniciosiſſimi errores extincti ſunt, & in victoria veritatis dudum falſa dogmata perierunt. Non ignoratis plane quæ, & quanta intulerit damna Joannes Nicolaus Epiſcopus Myriophytanus, Eccleſiæ Trevirenſis Suffraganeus, cum ab Anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio, ſub ementito Juſtini Febronii nomine, Libros edidit, quibus, ut impugnaret hujus S. Sedis Jura, veritus non eſt Eccleſiæ ipſius Unitatem diſſolvere. (a) Modo idem Archiepiſcopus pro Religionis ardore, quo incenſus eſt, pro paſtorali, qua maxime valet, virtute, ſuæque mentis præſtantia, illum ipſum Febronium induxit ad ſolemnem errorum ſuorum Confeſſionem, & Retractationem. Plura, & graviſſima ſibi ab illo propoſita veritatis argumenta cum Febronius excepiſſet, ſerioque recogitaſſet, facile animadvertit ſe fuiſſe terrena opinione deceptum; & ut in Sacris eſt Litteris apprime verſatus, agnovit commentis ſuis obſiſtere, atque adverſari Chriſti Domini doctrinam, Patrum teſtimonia, Conciliorum Decreta, aliaſque Eccleſiaſticas Sanctiones. Ac tum etiam facile Nos credimus, Animo ejus obverſatum eſſe quidquid in Sacris Conventibus Trevirenſibus Anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono habitis, quos ipſemet iterum prælo ſubjici voluit, (b) ſancitum

(a) *Libri Juſtini Febronii prohibiti fuerunt Decretis Congregationis Indicis 27. Februarii 1764. 3. Februar. 1766. 24. Maii 1771. 29. Martii 1773.*

(b) *Hiſtor. Trevirenſ. Diplomat. Auctor. Jo. Nicolao ab Hontheim. Epiſc. Myriophyt. Tom. 2. pag. 740. Edit. Auguſt. Vind. anno 1750.*

tum fuerat de tenenda, docendaque Romanæ Ecclesiæ doctrina, aliisque servandis Ecclesiasticis Juribus; quod perspicue agnovit nulla debere varietate corrumpi. Sed adfuit certe, eumque intime commutavit, illabens in Cor, mentemque Divinus Spiritus, ut repente Febronius lapsum intelligeret, & ruinam sentiret, atque defleret. Tum, ut ad Patrem sapiens rediret, qui insipiens a Patre recesserat, cum statim retractasset, rejecisset, ac detestatus esset, quæ suis antea Libris scripserat; veniam a Nobis petiit, Apostolicæ Sedis Clementiam imploravit, tamque promtum, ac paratum ad præstandas omnes officii sui partes exhibuit animum, ut etiamsi plurima jam accurate revocasset, cetera tamen omnia, quæ Nos adhuc emendanda esse censeremus, sine ulla cunctatione se correcturum promiserit. Sed præstat hæc ipsa, VENERABILES FRATRES, ex Archiepiscopi Litteris, & Febronii Retractatione cognoscere, quas Nostrarum ad Principes Epistolarum Secretarius recitabit. Ac primum audite Litteras.

Sacrarium ingressus R. P. D. Benedictus Stay, Brevium ad Principes Secretarius, Cappa indutus, alta voce perlegit Litteras sequentes.

BEATISSIME PATER

BEnedictus Deus & Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui me consolari dignatus est in gravissima tribulatione mea, ut possem & ipse oppressum simili sollicitudine Sanctitatis Tuæ animum sublevare.

Magna nimirum tristitia mihi fuit, & continuus dolor cordi meo, dum viderem Suffraganeum ac Coepiscopum meum Nicolaum ab Hontheim, Virum tot ceteroquin nominibus mihi ca-

rum ac venerandum, utpote qui ob excellens & singulare ingenium, immensum omnigenæ eruditionis apparatum, longævam experientiam, mores a puero intactos, & fervidum restaurandæ disciplinæ, Ecclesiæque ampliandæ studium præ alio quovis oneri meo pastorali levando aptior esset, quique, nisi eum zeli amaritudo, & inconsiderantia in transversum egisset, Ecclesiæ bono, solatio, ac præsidio natus videbatur; dum, inquam, viderem Virum hunc terminos, quos posuerunt Patres Nostri, quin imo quos Patribus nostris Divinus Legifer posuit, transilire, atque a veritatis tramite tanto longius, tantoque obstinatius aberrare, quo ipsum magis decipiebat species recti, & optimæ voluntatis conscientia.

Interim tamen Scriptis suis unitatem Catholicam scindebat, ad quam reducere Protestantes moliebatur; Zizaniorum extirpandorum prætextu, ex Agro Dominico evellebat & Triticum; & fundatæ supra Petram Ecclesiæ ruinam parabat, dum illi etiam suppetias ferre cogitaret: Sed & adversus Sanctam, Catholico cuivis nonnisi cum Religione suspiciendam, Romanam Sedem attollere quandoque supercilium, ejus jura extenuare, prærogativas obterere, Jurisdictionem universalem, quam tota Antiquitas venerata est, e medio tollere, imo & ejusdem Sedis Præsules hinc inde probris conscindere non dubitavit; eo nimirum, ut asserit, consilio, ut vigentes in Romana Curia abusus aboleret, Sedemque Divi Petri, sublatis adscititiis, iisque monstrosis parergis, nativo suo splendori restitueret.

Ut autem omnia hæc tutius ageret, & parata fors temeritati suæ mala declinaret, ficto, Justini videlicet Febronii, Nomine Scripta sua vulgabat; & ita quidem caute, ut quamquam Authoris Nomen, uti hominum neminem, ita nec me lateret, argumenta tamen deessent, quibus eum conscripti Operis convincerem. Sed & verebar, ne si eo hominem adigerem, ut Febronianorum Scriptorum se authorem fateri cogeretur, jam asseclarum numero & Magnatum præsidio audacior effectus, eo proterviæ procederet, ut infelicis Operis elucubratione optime se de Ecclesia, & veritate meritum esse contenderet; sicque ignis non jam lente & clanculum, ut antea, sese diffunderet; sed disjectis repagulis, in vastissimum & nunquam forte amplius extinguendum incendium erumperet.

A Deo itaque Optimo Maximo consilium, auxilium, temporaque opportuniora expectanda esse duxi; quem in finem indignas quidem, at sinceras tamen & fervidas, cum gemitu Columbæ; bonorumque omnium votis unitas preces ad Cælum direxi; illius quoque frequenter interponens authoritatem, sanguinem & merita, qui, quæcumque in Nomine ejus a Patre petituri essemus, ea Nos consecuturos esse promisit.

Quam

Quam benignum, quamque inclinatum supplicationibus meis se præbuerit Consolator in se sperantium Deus, dignabitur Sanctitas Tua ex adjuncto Libello intelligere.

Prætermitto, ne longior sim, narrare, qua occasione dictum Suffraganeum meum Officii sui commonere incœperim; quibusque gradibus eum divina clementia ad Sanctitatis Tuæ pedes reduxerit.

Verum hoc, utpote virtutis eximiæ argumentum, in Venerabilis Senis laudem præteriisse nefas foret; quod videlicet illum a primo instanti auspicati inter nos negotii usque ad ejus consummationem, nunquam non humilem, docilem, modestum, & ad quævis jussa mea capessenda obedientem ac promptum expertus fuerim.

Nec solum Sanctitati Tuæ ad saniora consilia reversum Authoris nostri animum dictus ejus Libellus exhibebit; sed & cum intimi solatii sensu considerandum sistet, quam humiliter cum Sancta Sede reconciliari postulet, imo quantum gratiam hanc promereatur & magnanima errorum suorum Confessione, & amara pristinæ rationis, factorumque minus rectorum pœnitudine, & inconfusibili hodiernorum ejus sensuum Orthodoxia, & acri, quo modo incenditur, inlata Ecclesiæ damna reparandi desiderio.

Atque inde est, cur supervacaneam rem me acturum arbitrer, si Te rogem, Sanctissime Pater, ut pœnitenti paternum sinum pandas; neque enim dubitare fas est, quin illius Caritatem æmuleris, qui super degeneri, sed jam converso Filio misericordia motus, accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum, eique cum Stola prima omnem paternum amorem reddidit.

Certe, si quidquid Tibi est in me benevolentiæ (& multoties probasti inesse quamplurimum) revertenti ad Te Carissimo Fratri meo exhibueris, & Viscera mea in Domino reficies, & incredibili me voluptate perfundes.

Confidens in bonitate Tua, hæc duxi scribenda Tibi, sciens quod super id quod rogo facies; nec præteritarum modo ejus noxarum oblivisceris, sed & Filii loco eum habebis, amabis, Litterisque amicis & senium ejus solaberis, & animum adversus stolida hominum judicia confirmabis: Dignum quippe, & consentaneum Tuæ clementiæ arbitror, ut qui suo erga Sanctam Sedem obsequio fines nullos posuit, eum illimitato prorsus affectu Sanctitas Tua complectatur.

Transfusa jam in sinum Tuum, Beatissime Pater, suavissimorum solatii, gaudii, spei, ac fiduciæ sensuum exuberantia, superest ut & coram Te deponam humillimæ ac profundissimæ subjectionis tributum, quo, quamdiu vixero, in persona Sanctitatis Tuæ

 hono-

honorare intendo Venerabilem illam Petram, cui inædificaturum se Ecclesiam suam Salvator promisit, & contra quam, haud secus ac Ecclesiam ipsam, nullæ unquam inferorum potestates prævaliturae sunt.

Cumque in persona Beatissimi Prædecessoris Tui Divi Petri, Apostolorum Principis, non Agnorum modo omnium, sed & Ovium Tibi cura concredita sit, provinciaque demandata confirmandi Fratres Tuos; intolerabili fere & viribus meis longe superiori duarum Ecclesiarum pondere quasi ad ima depressus, ad Te oculos, manus, vocemque attollo, suppliciter orans, ut fatiscentem sub tot Animarum regimine, de quarum singulis severo Judici mihi olim reddenda erit ratio, animum allevare, cæcutientem illuminare, aberrantem reducere, torpentem excitare digneris Consiliis, Jussis, ac præsertim plurimum valenti apud Deum Precatione. Quæ omnia, ut Apostolica Benedictione mihi confirmare velis, vehementer a Te peto, qui finaliter me, gregesque mihi, utut indigno, commissos paternæ Tuæ benevolentiæ commendans, filialemque reverentiam & amorem humili Sacrorum Pedum osculo profitens subscribor.

SANCTITATIS TUÆ

Ehrenbreitstein die 15. Novembris 1778.

Devotissimus, & Obedientissimus Servus, & Filius:
Clemens Wenceslaus Archiepiscopus, & Elector.

Nunc Animos vestros ad Febronianam Retractationem advertite.

Idem R. P. D. Stay legit Retractationem Episcopi Myriophytani, Suffraganei Trevirensis.

BEATISSIME PATER

SI quid mihi in longævà, & ad exitum declinante vita evenit triste, & acerbum (evenerunt autem haud pauca); illud omnium maximum, & intima viscerum penetrans est, quod per Reverendissimum, & Serenissimum Dominum Archiepiscopum meum, Pastorem vigilantissimum, ad me pervenit, Sanctitatem Vestram indigne ferre plura, quæ in Libris Justini Febronii, seu quovis alio adscititio nomine a me evulgatis, aut forte etiam mihi suppositis continentur, utpote summæ Sedi injuriosa, nec non supremis ejus juribus

juribus detrahentia, proin Sanctæ Nostræ Religioni (sane præter, & contra meam intentionem) noxia.

Cum autem nihil majus, & Viro bono dignius sit, quam agnitum errorem consiteri, & præteritam culpam melioribus factis redimere; sic inprimis agnosco & defleo errorem, ex zelo indiscreto Protestantes Catholicæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi reuniendi, huncque in finem etiam usus, & praxes particularium Ecclesiarum, easque persæpe ultra modum exaggeratas, omnibus Ecclesiis applicandi studio natum; neque eum, quoad vixero, deflere desinam. Dein deliberatum mihi constitutumque est, postquam culpam confessus, & veniam gratiamque a paterna Sanctitatis Vestræ clementia supplex deprecatus fuero, sicuti jura & decorem Summæ Sedis pro viribus tueri, ita & ejusdem Sanctæ Sedis judicium Libris & luminibus meis præferre, nullumque meæ erga eamdem submissioni ponere terminum. Eripuit mihi authoritas Sanctitatis Vestræ (in qua authoritatem Jesu Christi recognosco) errorem. Itaque præsentes, eosque genuinos animi mei sensus de Statu Ecclesiæ, & summis Sedis S.Petri, Apostolorum Principis, juribus, ad Successoris ejus Pedes omni cum submissione depono, tanquam in qua vivere, & mori cupio. Sunt autem ii sequentes.

Inprimis profiteor & agnosco cum *Tournelio*, Claves Ecclesiæ, & uni Petro, & Unitati simul a Christo concessas esse, ita ut unum aliud non excludat. Oportebat quippe meminisse cum *Tertulliano*, in Scorpiaco *Cap.* 10., *Eas Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse*; & cum *Optato*, de Schism. Donatist. *Lib. VII. n* 3., *Petrum Claves Regni Cælorum communicandas ceteris solum accepisse*; ut enim de Petro ait *S. Leo*, Serm. *III. in Anniv.*, *Si quid* (Christus) *cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit*: Scilicet Claves datæ sunt uni Petro, quatenus ille Primatum & regiminis potestatem accepit a Domino, idemque Personam totius Ecclesiæ, ceu Supremus ejusdem post Christum, & sub Christo Rector ac Moderator, gerebat. Datæ quoque sunt Unitati, idest in bonum Unitatis, & Petro præcipue, ut dictum est, & aliis etiam Apostolis, eorumque Successoribus Episcopis, quibus docendi, ac regendi ministerium & potestas, seclusa plebe, commissa sunt in verbis: *Sicut me misit vivens Pater, & ego mitto Vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Euntes docete omnes Gentes &c. Attendite Vobis, & universo Gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: Attamen cum dependentia a Petro, & cum subordinatione ad ipsum, qui eas, ut superius ait *S. Optatus*, communicandas ceteris solus accepit. Explodendus proinde error,

hanftus ex Proteftantium fontibus, Ecclefiam Collegium effe, non Societatem, ut Catholici fentiunt, in qua baptizati fideles ex inftitutione Chrifti fub legitimorum Paftorum, ac præcipue Summi Pontificis, regimine degunt; cujus regiminis poteftas, a Chrifto conftituta, veram fubjectionis, & obedientiæ obligationem multitudini, feu univerfitati imponit.

Profiteor Dei Filium, dum fuam Ecclefiam fundare, eamque effe unam vellet, formandæ ac regendæ huic Unitati Primatum in illa inftituiffe; huncque S. Petro commififfe. Firmiter affero cum SS. Patribus *Cypriano*, *Hieronymo*, *Optato Mileuitano*, *Gregorio Nazianzeno*, *Joanne Chryfoftomo*, *Ambrofio*, *Leone M.*, *Gregorio M.*, & aliis, propterea inter duodecim Apoftolos unum electum effe, ut Capite conftituto, fuper quo Ecclefia fundata eft, Schifmatis tollatur occafio; Ideo Chriftum, cum fuis Apoftolis poteftatem largiretur, ab uno, cui Primatum tribuit, cœpiffe, ut unam Ecclefiam, & unitatem Cathedræ, fimulque unitatis originem demonftraret: Schifmaticum effe, qui, ut ait *Optatus*, contra fingularem Cathedram aliam collocat, vel ab ejus communione per obedientiæ negationem recedit: Non habere Petri hæreditatem, qui Petri Sedem impia divifione difcerpit; fiquidem ubi eft Petrus, ibi eft Ecclefia: Petrum Ecclefiæ fundamenta (Apoftolos, fibi ut Capiti fubordinatos) in fidem fuam recepiffe; Eidem Petro, in quo Primatus excellenti gratia præeminet, ipforum etiam Apoftolorum curam a Chrifto effe commiffam: Ipfum effe Os, & Principem Apoftolici Cœtus.

Affero hunc Primatum (qui non ordinis, infpectionis ac directionis tantum eft, fed & veræ Auctoritatis ac Jurifdictionis) quia non minus, quam Unitas ipfa, pro cujus confervatione ac regimine inftitutus eft, perpetuus effe debebat, in Petri Succeffores Romanos Pontifices, Sedemque Apoftolicam, hujus Unitatis Centrum & Radicem, jure divino tranfiiffe, ut nulla ratione transferri a Romana ad aliam Sedem valeat: Ad hanc Ecclefiam *propter potiorem principalitatem* (id eft, propter fupereminentem ejus dignitatem atque auctoritatem) uti ait *S. Irenæus*, *neceffe effe omnem convenire Ecclefiam, hoc eft eos, qui funt undique, fideles*: Eam effe Caput Ecclefiarum, *a qua*, ut inquit *Bonifacius Papa I.*, *quifquis fe abfcindit, fit a Chriftiana Religione extorris*; Huic accedunt Patres Concilii Conftantinopolitani IV, *Sequentes*, ut ajunt, *in omnibus Apoftolicam Sedem, & obfervantes omnia ejus Conftituta, fperamus, ut in una Communione, quam Sedes Apoftolica prædicat, effe mereamur, in qua eft vera & integra Chriftianæ Religionis foliditas; promittentes etiam, fequeftratos a Communione*

Eccle-

Ecclesiæ Catholicæ , ideſt , non conſentientes Sedi Apoſtolicæ , eorum nomina inter Sacra non recitanda eſſe Myſteria .

In horum ſequelam cum Patribus *Concilii Œcumenici Florentini* agnoſco , Romano Pontifici in B. Petro paſcendi , regendi , ac gubernandi Univerſalem Eccleſiam a Domino Noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe . Sicut autem paſcendi , & regendi poteſtas ſine conveniente Auctoritate , Juriſdictione , ac Coactione (ad quam etiam , velut graviſſima Spiritualis pœna , pertinet Excommunicatio , quoad fructum & ſuffragia generalia ſeparans) ſubſiſtere non poteſt ; ſic talem a Chriſto ipſo promanantem in Romano Pontifice , tanquam Univerſalis Eccleſiæ Capite , Principe , ac Magiſtro reſidere affirmo .

Profiteor quoque Romanum Pontificem eſſe ſummum Judicem Controverſiarum in rebus Fidei & Morum ; ac in omni ejuſmodi Controverſia exorta , hinc inde diſſentientibus animis , tum maxime audiendam vocem *Hieronymi* , ſcribentis ad Damaſum : *Ego Beatitudini Tuæ , id eſt , Cathedræ Petri communione conſocior : Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio . Quicumque extra hanc Domum Agnum comederit , profanus eſt . . . . Non novi Vitalem , Meletium reſpuo , ignoro Paulinum ; quicumque tecum non colligit , ſpargit .* Et : *Adhuc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat . . . Ego interim clamito : Si quis Cathedræ Petri jungitur , meus eſt .*

Addo ſpeciatim adverſus errorem tum veterum , tum recentiorum Novatorum , qui ſpreta multitudine Epiſcoporum , Capiti ſuo Romano Pontifici expreſſe , vel tacite adhærentium , Eccleſiam , ac veritatem in ſua paucitate concludere non verentur , fieri non poſſe , ut a vero aberret Corpus Epiſcoporum , qui Capiti ſuo Romano Pontifici adhærent : Sic hæreſim Lutheri jam ante *Concilium Tridentinum* ab Eccleſia , præeunte Pontifice , per ejus Oraculum ultimato & irrevocabiliter damnatam fuiſſe ; quandoquidem Eccleſia Capiti unita , ſive per Orbem Univerſum diſperſa , ſive congregata in Conciliis Generalibus (in quibus Epiſcopi jure proprio ac judiciaria poteſtate ſibi ex inſtitutione Chriſti cohærente una cum Summo Pontifice definiunt) in dictis Cauſis definiendis errare non poſſit , nec ab ea Cathedra diſcedere , ad quam , teſte *Cypriano* , perfidia non valet accedere ; & in qua , manente diſpoſitione veritatis , B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeverans Eccleſiæ gubernacula non relinquit , ac per Succeſſores ſuos ſedere , ac loqui non deſinit .

Agnoſco pariter datam Eccleſiæ a Chriſto authoritatem judicandi de ſenſu , ſeu doctrina Propoſitionum , Librorum , & Autho-

rum, ac fideles compellendi ad fubfcribendum fuæ Sententiæ; hos proinde teneri eidem acquiefcere interna mentis & judicii adhæfione, non folum religiofo, ut vocant, filentio; atque hujufmodi Judicium nullatenus errori effe obnoxium. Conftitutioni *Unigenitus*, ut dogmatico Sanctæ Sedis Romanæ & Univerfalis Ecclefiæ Decreto, omnimodam ab omnibus obedientiam deberi affirmo.

Dico cum *Avito Viennenfi Epifcopo*, in rebus, quæ ad Ecclefiæ ftatum pertinent, fi quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclefiæ Maximum Sacerdotem, quafi ad Caput noftrum, effe referendum.

Circa Decretales Romanorum Pontificum Epiftolas, profiteor cum *SS. Gelafio*, *&* *Leone*, eas venerabiliter fufcipiendas effe, & fancte cuftodiri debere.

Affirmo Romano Pontifici jure divino competere Jus indicendi, dirigendi, & confirmandi Univerfalia Concilia, quæ per ejus concurfum plenam fortiuntur firmitatem, & infallibilitatem, independenter a quacumque alia acceptatione.

Concilium Tridentinum non tantum in Caufis Fidei, fed etiam Difciplinæ liberum fuiffe profiteor, non obftante, quod pro illorum temporum & rerum circumftantiis in eadem Sacrofancta Synodo non potuerint omnia de quorumdam etiam proborum Virorum voto ac defiderio reformari. Caufas Criminales Epifcoporum per Concilium *Tridentinum*, *Seff. XXIV. Cap.* 5., Summo Pontifici, & Apoftolicæ Sedi merito refervatas judico. Cumque eadem Sacra Synodus, *Seff. XIV. Cap.* 1., declaraverit Pontifices Maximos, *pro fuprema poteftate fibi in Univerfa Ecclefia tradita*, Caufas aliquas Criminum graviores merito potuiffe fuo peculiari judicio refervare; non arbitror licere apertam hanc Synodi declarationem eludere, aut obliquis & coactis interpretationibus evertere, quafi hæc poteftas Summo Pontifici non competeret proprio, ac originario, divinoque jure. Habet proinde idem Pontifex, & jure exercet in Univerfa Ecclefia poteftatem Difpenfandi ex legitima caufa in lege per Generale Concilium lata.

Primis jam tum Ecclefiæ temporibus ii cenfebantur Spurii, adulterinique Epifcopi, quorum Romanus Pontifex Ordinationem, feu Electionem abfolute refpueret, veluti *ULTRAJECTINORUM Pfeudo-Epifcoporum*, aliorumque eidem Communioni, atque Caufæ adhærentium. Quamvis autem antiquioribus temporibus Confirmatio, & Confecratio Neo-Electorum Epifcoporum ad Provinciales Synodos, præcipue vero ad Metropolitanum pertinuerit; attamen legitimis de caufis hæc difciplina per Univerfum Occidentem mutata fuit, neque priftinam hac in parte difciplinam reduci

duci posse existimo, nisi de pleno atque libero Summæ Sedis assensu. Idem de Translationibus, & Depositionibus Episcoporum, nec non de Erectionibus novarum Sedium Episcopalium servandum judico.

Canonizatio Servorum Dei per Papam *Alexandrum III.*, ad evitandos innumeros abusus, soli Romano Pontifici, seclusis Episcopis Diœcesanis, merito reservata est. Quamquam & ab antiquioribus temporibus, ut habetur ex *Benedicto XIV. Lib.* 1. *de Beatif. & Canon. Serv. Dei Cap.* 10. *num.* 1., Beatificationes ipsæ, quæ fiebant ab Episcopis, vim obtinebant Canonizationis, vel per expressam Summi Pontificis approbationem, vel per universalem, extra Concilium, Ecclesiæ consensum, in quo tacita Summi Pontificis approbatio continebatur.

Quamvis olim vix aliæ Causæ, quam Majores, ex Provinciis ad Romanam Curiam deferrentur; attamen hodie in reverentiam Summæ Sedis, ac pro Suprema potestate eidem in Universa Ecclesia divinitus tradita, legitimè communique usu invaluit, ut in quibusvis Causis Ecclesiasticis ad Summum Pontificem appelletur, ita ut ejusdem Sanctissimi authoritate in suprema instantia judicetur, tum Romæ per Judices Ordinarios ibidem constitutos, tum per Delegatos in partibus, pro diversitate locorum, morum, & Concordatorum.

Summi Pontifices *Pius II.*, *Julius II.*, & *Gregorius XIII.* omni jure damnarunt Appellationes a Papa ad futurum Concilium, cujus damnationis causas suis Constitutionibus explicant. Sane jam antea reprobatas comperimus *a Gelasio* Appellationes a Sede Apostolica: *Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellare voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus.*

Equidem primævo Ecclesiæ usu omnia Beneficia ad Episcopi, tanquam Ordinarii Loci, dispositionem, seu collationem pertinuisse videntur; attamen cum sanæ rationis sit, ut Summus & Universalis Pontifex plurium in Provinciis gratiarum dispensator existat, sic minime injustæ, imo huic Summi, & Universalis Pontificis qualitati consonæ fuerunt Beneficiorum Reservationes, quæ deinceps Nationum Concordatis firmatæ, & respective moderatæ fuit. Hæc Concordata, utpote vim pacti habentia, religiose omnino servanda sunt. Declararunt autem sæpius Romani Pontifices, signanter *Gregorius XIII.*, longe a suo Animo abesse Concordatorum, nominatim Germaniæ, infractionem.

Annatæ ad sublevandas necessitates Romanæ Curiæ, pro omnibus Ecclesiis excubantis, laborantis, & sumptus portantis, pro legitimis habendæ; atque ut tales, eo saltem usque retinendæ sunt, donec alia aeque commoda ratione, Apostolicæ Sedis judicio, susten-

ftentationi, atque innumeris oneribus ejufdem Curiæ provifum fuerit.

Exemptio Regularium (quorum magna in Ecclefia eft utilitas), eorundemque immediata fubjectio ad Apoftolicam Sedem, legitimis ex caufis, in bonum non tantum Religioforum Ordinum, fed etiam Univerfalis Ecclefiæ, videlicet ad faciliorem eorundem fub uno Supremo Capite gubernationem, introducta, & ab omnibus Ecclefiis agnita, nedum a Seculari poteftate, fed nec ab una particulari Synodo abrogari valet. Abufibus, ex hac Exemptione nafci valentibus, per *Concilium Tridentinum* occurfum, & provifum eft.

Scio Epifcopos non ab Ecclefia, feu fidelium Univerfitate, fed a Spiritu Sancto pofitos, ut commiffos fibi Greges intra fuas folum Diœcefes pafcant & regant, cum debita ad Romanum Pontificem fubordinatione. Quamvis autem illi primis Ecclefiæ temporibus ampliorem, pro varietate difciplinæ, in his quæ jurifdictionis funt, poteftatem exercuerint; potuere tamen Canones ejus ufum intra ftrictiores terminos coercere, quos privata authoritate extendere nefas foret.

In illis, quæ ad Fidem, Sacramenta, & Ecclefiafticam Difciplinam pertinent, poteftas Ecclefiaftica pleno jure decernit, fine concurfu poteftatis Civilis; ratione tamen mutuæ Protectionis, quam fibi invicem debent, ad hanc fpectat, juxta mentem Ecclefiæ, & quantum ipfa optat, ejus Canones protegere, & exequendos curare per media temporalia.

Finaliter judico, curandum omni legitimo ac meliore modo, ut pax & concordia inter Ecclefiam, & Rempublicam perpetuo retineatur; atque adeo, quoad Fides & Religionis jura patiuntur, vitandas effe occafiones offenfionum, unde & diffidia oriri, & gravia mala in Religionis detrimentum timeri poffent.

Accipe, SANCTISSIME PATER, has Affertiones, velut tefferam genuinæ meæ fententiæ de divinis, atque eminentioribus Tuis, Tuæque Sedis juribus, tanquam monumentum revocationis omnium, quæ adverfum ea, & fi quæ fortaffe alia veræ doctrinæ Capita, feu univerfalis Ecclefiæ jura (licet præter intentionem) a me quavis via, aut modo dicta, fcriptave fuere, vel fcripta videri poffent.

Si quid ultra eft, quod circa Fidei, feu Doctrinæ meæ profeffionem ac declarationem, quam in omnibus Sanctæ Romanæ, atque Apoftolicæ Ecclefiæ conformem effe cupio, jubes, aut poftulas; habebis me femper ad eandem germana finceritate edendam obedientem ac promptum. Non negabis interim (fic humil-

lime

lime confido) veniam erranti, qui medias etiam inter deviationes nihilominus cum Patribus *Concilii Lateranensis* semper agnovit, & quoad vivet, agnoscet, Romanam Ecclesiam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere Principatum, utpote Matrem Universorum Christifidelium; qui cum *Divo Bernardo* sine fraude & fuco profitetur: Esse alios aliis assignatos Greges, singulis singulos; Tibi universos, uni unum, non modo Ovium, sed & Pastorum, tanquam uni omnium Pastori; qui cum *S. Hieronymo* non ignorans Romanam Ecclesiam supra Petram, qui Christus est, ædificatam, nihil magis desiderat, quam Cathedræ Petri (qui etiam *per Christum factus est Petra*, ut ait *S. Maximus Taurinensis*) perpetuo consociari. Suscipe me in hanc Unionem; redde pœnitenti filio paternum affectum; & in pignus huius gratiæ da jacenti ante Sacratos Pedes Tuos, eosque deosculanti, Apostolicam Benedictionem.

SANCTITATIS TUÆ

Treviris 1. Novembris An. MDCCLXXVIII.

Humillimo & Obedientissimo Filio
Joanni Nicolao ab Hontheim Episcopo Myriophitano
Suffraganeo Trevirensi M. propria.

Nostras modo in forma Brevis Litteras, quibus ad utrumque respondimus, audietis.

Postremo ab eodem lectæ sunt Epistolæ Sanctitatis suæ ad utrumque.

Venerabili Fratri Clementi Wenceslao Archiepiscopo Trevirensi, & Episcopo Augustano, S. R. I. Principi Electori.

PIUS PAPA SEXTUS

VEnerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Nihil Nobis gratius, atque acceptius Tuis Litteris contingere unquam potuit, Venerabilis Frater; nihil iis, quæ Nobis ipsæ attulerunt, exoptatius. Incredibile est, quanto inde, quamque immenso repleti gaudio sumus: idque Tu ipse magis ex Tuo lætitiæ sensu existimare poteris, quam Nos ullis Tibi significationibus exponere valeamus. Illo, quem nunciasti, successu, illo, quem trans-

transmisisti, *Retractationis* Libello, gravissimam detraxisti Nobis; quæ jamdiu Animo infixa erat, de *Febronianis* Scriptis sollicitudinem; quantumque antea de illatis illinc in Ecclesiam damnis dolebamus, tantam nunc in spem inducimur fore, ut iis ipsis Scriptis jam a suo Auctore repudiatis, abdicatis, ac damnatis, accepta detrimenta sarciri tandem ac refici videamus. Hunc a Deo ipso rei exitum eo magis expectamus, quo magis illius Digitum, Cor hominis altissime pervadentem, atque immutantem agnoscimus, Tuos ille sermones, cum Episcopo Myriophytano Suffraganeo Tuo a Te habitos, Tua in ipso ab errandi via deducendo consilia, Tuas actiones pro sua gloria, atque Ecclesiæ utilitate susceptas sui Spiritus afflatu moderabatur, sua ope præsidioque muniebat, opportunitatesque omnes, & differendi, atque agendi tempora sapientia sua gubernabat. Illi igitur, qui dives est in misericordia, summæ immortalesque habendæ sunt a Nobis gratiæ, quod & Tua vota, studia, ac labores, & Nostras non intermissas preces, ac lacrymas, in Cordis humilitate ad eum fusas, tam liberaliter, tam benigne tandem respexerit. Verum cum ab ipso Tua fuerit opera, tamquam suæ miserationis instrumentum, adhibita, ipsam hanc tam egregiam, tamque excellentem operam ac Virtutem Tuam intima Animi Nostri comprobatione prosequimur, atque in Cælum extollimus; Tibique, Venerabilis Frater, ita gratulamur, ut nihil unquam a Te in Tuo Episcopali munere neque gloriosius, neque utilius suscipi, atque effici potuisse Apostolica voce prædicemus. Summa esse Tua fatemur de Nobis, de Sancta hac Sede, Ecclesiaque Universa merita, ac maxima inde, nec unquam interitura accessisse ad pristinam Tuam laudis ac splendoris amplitudinem veræ solidæque gloriæ ornamenta. Hæc eximia Nostra de Te judicia pari etiam gratissimi Animi testimonio, summique in Te amoris, existimationis, ac studii declaratione cumulamus. Proinde quod Tu nunc a Nobis vehementer exoptas, atque efflagitas, ut Venerabilem Fratrem Joannem Nicolaum Episcopum Myriophytanum jamdiu aberrantem, ac ad Nos modo revertentem, in gratiam benevolentiamque Nostram restituamus, magnopere quidem gaudemus in eo, quod Nostra Animi inductione cupidissime præstituri sumus, una etiam Nos esse Tuo huic gravissimo postulato præclare satisfacturos. Itaque omnia, prout fieri a Nobis cupis, ab ipso antea in Apostolicæ hujus Sedis Ecclesiæque jura perperam atque inconsulte dicta, scripta, actaque ex Animo remittimus, condonamus, atque ignoscimus; ad eaque respicimus, quæ nunc consecuta sunt, quæ nimirum a Te, atque ab illo ipso etiam de præsenti suo Animi sensu ad Nos deferuntur; eumdem in pater-

paternæ Caritatis sinum, atque in complexum Nostrum libenter, amanterque recipimus, ac tamquam inventam Ovem, quæ perierat, humeris Nostris imponimus, atque ad hanc solidissimam Veritatis Petram læti exultantesque reportamus, ac inter ceteros Coepiscopos Fratres, itemque Filios Nostros adnumeramus; & quo amplius habeat paterni hujus Amoris, lætitiæque Nostræ argumentum, non mediocri etiam laude, & commendatione hanc ipsius actionem exornamus. Commendari enim oportere a Nobis intelligimus ejus cum ingenii docilitate conjunctam Animi fortitudinem, quæ in suo hoc facto perspicue conspicitur atque eminet, dum illas suas, quas tantopere adamarat antea, propugnaratque Sententias, abjicit nunc, ac detestatur, dum plurimorum huic Petri Cathedræ aut adversantium, aut invidentium, quos undique in suas partes laudesque pertraxerat, judiciis non retrahitur, non permovetur. Quid hoc est, nisi quodammodo pro veritatis, quæ affulsit, amore semetipsum contemnere, ex Saulo novum in se Paulum exprimere, de ambitione, de sui laude, de profani Sæculi hujus aura fortiter, egregieque triumphare? Quo certe humanæ Naturæ imbecillitas pertingere non potest, nisi divina ope fulta, ac roborata. Divinæ igitur voluntatis rationibus inhærere Nos putamus, dum eumdem singulari laude prosequimur, quæ potissimum in Dei ipsius gloriam est redundatura. Idcirco jam nunc ipsi amantissimis respondemus Litteris, quas hisce conjunctas ad Te transmittimus; in iisque intimæ reconciliationis, gratiæ, laudationisque Nostræ testem Apostolicam Benedictionem ex animo concedimus. Ut autem ad Te regrediamur, Venerabilis Frater, ita tua hac virtute, tuaque felicitate gaudemus, ut plurimum ob ipsum etiam tam singulare, tamque præstans exemplum, in Te splendoris, in Apostolicam Sedem utilitatis adjunctum iri cumulum judicemus. Maximo enim exemplum illud ceteris omnibus Episcopis incitamento ad Sacra tuenda, & propugnanda Jura futurum confidimus: Eos vero acerrime poterit sua claritate ac luce ad imitationem impellere, quibus ob locorum propinquitatem erit ipsum multo conspectius; quibusque deesse jam hoc tempore non potest ejusmodi exhibendæ, exercendæque virtutis copia. Nunc vero etsi Te ipsum impofterum Tui similem futurum non dubitemus, valdeque lætemur nulla Te hortatione indigere, qui tua sponte ad præclara quæque inflammaris; tamen ut magis Tibi constare possit, quantum adhuc tua virtute nitamur, illud nunc a Te expectamus, ut quem a Deo recepit Suffraganeus tuus docilitatis spiritum, eodem pro tua apud ipsum auctoritate velis uti ad debitam ab ipso exigendam, quam promisit, operam, qua illud er-

rorum

rorum propugnaculum, quod jampridem excitavit, idem ipse sui ingenii, suæque doctrinæ ope dejicere, ac funditus delere pergat; ex quo certe præcipuum ipsi illi Retractationi suæ pondus adjungetur: Tecum præterea S. Leonis Magni adhibemus ad Theodoretum, Cyri Episcopum, scribentis verba: (a) *Victoria, quam Christus Dominus Noster suæ donavit Ecclesiæ, quamdiu in hoc Mundo versamur, licet fiduciam majorem tribuat, non tamen in totum sollicitudinem perimit, nec ut dormiamus donata est, sed ut suavius vigilemus*. Jam quod reliquum est, & perspectissima Nobis antea erant Tua in Nos, & Apostolicam hanc B. Petri Cathedram studii, conjunctionis, observantiæ, pietatisque officia; & nunc adeo grata & jucunda est eorumdem in Epistola tua luculentissima confirmatio, ut nihil cupiamus magis, quam palam omnibus facere posse, quantam Tui, Tuæque Dignitatis ac Virtutis rationem habeamus, quantumque ad ea omnia præstanda, quæ ad Tuæ laudis gloriæque incrementa faciant, atque ab hujus S. Sedis beneficentia proficisci possint, potissimum incendamur. Interim Deum Opt. Max. precamur, ut cum ipse præstantium tuorum meritorum tutor, impulsor, atque auctor extiterit, idem etiam esse suorum in Te munerum amplificator velit, Atque hujus divinæ benignitatis auspicem Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, Tuæque fidei concreditis populis intimo paternæ Caritatis sensu amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Decembris MDCCLXXVIII, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Benedictus Stay.

Venerabili Fratri Joanni Nicolao Episcopo Myriophytano.

PIUS PAPA SEXTUS.

VEnerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quod summopere semper optavimus, quodque a Deo Optimo Maximo omni animi contentione precati sumus, ut Tu, Venerabilis Frater, cordis dolore tactus intrinsecus, tandem aliquando a suscepta jamdudum offensionis atque erroris semita Illius miseratione digredereris, Teque ipsum ad veræ doctrinæ lucem revocares; id nunc contigisse & ex Litteris Venerabilis Fratris Clementis Wenceslai Trevirensis Archiepiscopi, & S. R. I.

(a) *Epist. 93. Cap. 6. Part. 2. Oper. cit. Edit.*

S. R. I. Principis Electoris, & ex transmisso Nobis Tuo Retractationis Libello incredibili paterni Nostri animi jucunditate intelleximus. Maximas extitisse Nobis a Te antea doloris, atque ægritudinis causas, ipse facile percipere potes; cum Te nimirum intueremur hujus Apostolicæ Sedis beneficio ad Episcopatum evectum, ipsique tanto necessitudinis nomine devinctum, tamen insurrexisse ad eamdem oppugnandam, idque conari, ut ejus antiquissima jura, atque a Christo Domino derivata privilegia minueres, ac labefactares. Divinis Nos sane freti promissionibus certissime confidebamus, Solidissimam hanc Veritatis Petram nullis unquam adversis ventis ac tempestatibus concuti posse, atque ad ruinam impelli. Sed & Tuam dolebamus vicem, qui Te tantopere a Nobis averteres, atque aberrares; & eorum etiam omnium errorem perniciemque deflebamus, quos ingenium tuum, amplaque eruditionis, ac doctrinæ species ad Tuas partes, hoc præsertim adversissimo Ecclesiæ ac Religioni tempore, facile pertrahebat, atque aggregabat. Has pristinas gravissimas molestias, perpetuasque sollicitudines Nostras non idcirco nunc commemorandas suscepimus, Venerabilis Frater, ut Tibi quidquam exprobrare videamur; sed ut luculentissime declaremus, in quale, quantumque illæ jam conversæ sint gaudium, quamque ex ipsa superioris temporis recordatione sensus in Nobis Tuæ hujus reversionis fiat jucundior. Cognoscimus certe in Tuis hisce immutatis consiliis Dei virtutem ac misericordiam, qui non reliquit Te usque in finem, sed novam Tibi mentem voluntatemque per Sanctum Spiritum immisit, atque indidit; eique quantas maximas possumus intima Animi fide gratias persolvimus; Teque etiam hortamur, ut hæc ipsi debita Tuæ Religionis Officia in humilitatis sensu exhibere ac referre nunquam intermittas. Porro ut Tu ipse pro tanto beneficio, post Deum, unice obstrictus es eidem Trevirensi Archiepiscopo Tuo; ita Nos itidem plurimum ipsi debere ultro profitemur, qui sua tandem opera, Sapientia, ac Virtute perfecit, ut divina ope Te ad hanc Beati Petri Cathedram cum gemitu sisteres, implorares veniam, ad ejusque cultum, obsequium, ac reverentiam puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta redires. Hoc nimirum de Te persuadent Nobis, præter summam ejus amplissimi Viri auctoritatem, ipsa ratio Epistolæ ac Retractationis Tuæ, in qua post plurima singillatim, atque accurate expressa, a Teque revocata, Animum præteritorum omnium pœnitentem exhibes, eumque in modum comparatum esse confirmas, ut cetera etiam, quæ non expresseris, contra Apostolicæ Sedis decreta, ac doctrinam a Te unquam prola-

prolata, ſtatim ut admonitus fueris, Te ad veritatis normam redacturum eſſe pollicearis. Hoc optimæ voluntatis Tuæ teſtimonium Nos perlibenter ſuſcipimus; hoc certum tuæ conſtantiæ pignus eſſe exiſtimamus. Proinde remittentes Tibi quaſcumque Canonicas, & ſpirituales pœnas, Te, Venerabilis Frater, quod tam enixe a Nobis ſuppliciterque poſtulas, in Noſtram, & Sanctæ hujus Sedis gratiam reconciliamus, ac reſtituimus; Tibi pacem, quam a Chriſto Domino didicimus, largimur; Tibi paterno amplexu occurrimus; Te inter Epiſcopos Collegas Noſtros adnumeramus, atque amantiſſimis Verbis Filium etiam Noſtrum compellamus. Dum hunc Noſtrum, ut vides, amorem Tibi tam prolixe deferimus, eumdem etiam cum plurima tui commendatione ac laude jam nunc conjungere minime dubitamus; neque enim diſſimulare poſſumus in Tua hac Actione conſpici a Nobis & docilitatem ingenii, & magnitudinem animi Tui. Nam quid majus a Te fieri, quid fortius potuit, quam diſcuſſa errorum caligine, a priſtina mentis elatione ad chriſtianæ humilitatis ſenſum demitti, tuas abjicere ac reprobare ſententias, veritati poſthabere exorituros de Te rumores, Temetipſum quodammodo vincere atque contemnere? Quod quanto difficilius eſt, humanæque Naturæ vires excedens; tanto magis intelligimus abundare in Te divitias gratiæ & bonitatis Dei. Ita certe Boni omnes, quorum graviſſima apud Te eſſe debent judicia, Nobiſcum ſentient, cum Nos, quæ operata ſit in Te Dextera Domini, palam faciemus. Tu itidem, Venerabilis Frater, illud nunc potiſſimum age, ut omnes Populi publica tua veritatis a Te agnitæ confeſſione, divinæque potentiæ celebratione quid per ejus miſericordiæ gratiam ſis conſecutus, intelligant. Maximum exiſtima, atque opportuniſſimum illati a Febronio in Eccleſiam detrimenti futurum remedium, ſi Tu ipſe, qui eos Libros conſcripſiſti, eoſdem, ut erant antea ad plurimorum ruinam, ita nunc ad ipſorum ædificationem refutes, convincas, ac redarguas. Etſi provecta jam ætate ſis, integris tamen adhuc Te, Deo juvante, pollere cum Animi, tum Corporis viribus non ignoramus. Quid potius igitur, quid utilius, quid præſtantius reliquo vitæ tempore facias, quam, ut qua manu vulnera Eccleſiæ atque Apoſtolicæ Sedi inflixiſti, eadem illa ipſa alligare, ac perſanare omni ſtudio, ac labore contendas? Habes profecto plurimos, quos imitere, præcedentibus Eccleſiæ temporibus inſignes & ſanctitate & doctrina Viros, qui nedum prioris ætatis errata retractare veriti non ſunt, ſed eadem ſemel detecta conſtantiſſime rejicientes, maximam hoc ipſo apud omnes ſuo nomini gloriam com-

compararunt (*a*) . Eja igitur , Venerabilis Frater , *exere vires* , Te ipsis S. Joannis Chrysostomi Verbis excitamus , (*b*) *fortiter dimica , atrociter in proelio isto concerta , considera pactum , conditionem attende , militiam nosce ; pactum , quod spopondisti ; conditionem , qua accessisti ; militiam , cui nomen dedisti* : Tibi etiam S. Bonifacii Moguntini Episcopi , Germaniæque Apostoli , plenas auctoritatis voces subjicimus , quem Tibi ignotum esse non potest aliquantulum etiam ad Palatiolum Monasterium prope Treviros constitisse (*c*) : Ille ad Zachariam scribens testatur , nihil tam se optare , quam *Catholicam Fidem & Unitatem Romanæ Ecclesiæ servando dilatare , & quantoscumque audientes , vel discipulos in ista Legatione mihi Deus donaverit , ad obedientiam Apostolicæ Sedis invitare , & inclinare* (*d*) . Nos vero Tibi ipsum Zachariæ ad Bonifacium responsum damus : *Domini deprecamur clementiam , licet peccatores , ut suo Te muniat , & confortet auxilio , Nosque annuat prosperitatis tuæ semper læta suscipere nuncia* (*e*) . Demum pro Dei benignitate nova , semperque uberiora imposterum a Te lætitiæ Nostræ, Tuæque commendationis argumenta expectantes , Apostolicam Benedictionem Tibi , Venerabilis Frater , cælestium munerum omnium auspicem, in paternæ gratiæ , pacis , caritatisque amplexu ex Animo , ac peramanter impertimur . Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Decembris MDCCLXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto .

Benedictus Stay.

Hisce

(*a*) *Epist. Maximi , Urban. , Sidon. & Machar. de suo reditu ex schismat.,L. inter Epistol. S. Cyprian. Edit. Parif. cum Adnotat. Pamel. ann. 1603. S. Augustin. in Prolog. lib. Retractation. Tom.1. Operum Edit. Parif. Monachor. S.Maur.* : Neque enim quisquam , nisi imprudens , ideo quia mea errata reprehendo , me reprehendere audebit . Sed si dicit , non ea debuisse a me dici , quæ postea mihi etiam displicerent ; verum dicit , & mecum facit . Eorum quippe reprehensor est , quorum & ego sum . Neque enim ea reprehendere deberem , si dicere debuissem .

(*b*) *Serm. de Martyrib. Quod aut imitand. , aut non laudandi sunt . Tom. 3. Oper. Edit. Parif. 1581. pag. 849.*

(*c*) *Brower. Annal. Trevirens. Tom. 1. lib.7. num. 116. Bollandist. Act. SS. Junii Tom.1. Die 5. §. 2. ; dein. in 4. Vita ejusd. S. Bonifac. §.2.*

(*d*) *In Collect. Concilior. Labb: Tom.6. pag.1495. Edit. Parif. 1671.*

(*e*) *In citat. Collect. Labb: pag.1527.*

Hisce absolutis, præfatus R. P. D. Stay egressus est e loco Consistorii; & Sanctissimus Allocutionem sic prosecutus est.

Ex quibus omnibus præclare intellexistis, VENERABILES FRATRES, quid hac in re actum jam sit; præcipue vero constare Vobis potuit, quam candido, sincero, atque ingenuo animo in Cor suum se rediisse fateatur Febronius; &, quod animadverti maxime debet, non temporali ullo commodo illectus, non virium infirmitate fractus, non ingenio debilitatus, nec molestis inductus suasionibus, sed sola veritatis agnitione permotus, sola supernæ gratiæ illustratione perfusus, solo denique salutis suæ desiderio incensus, errores suos singulari studio rejiciat, summaque contentione ejuret; ut retractationis Libellum, quem *PROPRIA MANU TOTUM PERSCRIBERE VOLUIT*, selectis *PATRUM AUCTORITATIBUS, ET RATIONIBUS ROBORARIT*. Nonne hæc est mutatio Dexteræ Excelsi? *Qui innumeris Charismatum donis universum Ecclesiæ Corpus exornat, ut per multos unius luminis radios idem ubique splendor appareat, nec possit nisi gloria esse Christi, cujuslibet meritum Christiani*. (a) Neque enim exiguum id esse reputamus Episcopi Myriophytani meritum, qui sanctissimos Job, & Davidem imitatus, nullam afferri sibi moram passus est ab importuno, quo imbecilles animi plerumque capiuntur, pudore errata sua confitendi; sed

(a) *S. Leo M. Serm. 63, Cap. 7. Par. 1. Oper. cit. Edit.*

ſed ſummam ingenii docilitatem, ac miram animi fortitudinem in damnandis ſententiis ſuis, ſeque ipſo pro veritate abjiciendo, declaravit: Audiatur hic Ambroſius, cujus verbis dum Febronii laudes cumulantur, vulgi ſtultitia deteſtatur: *Amicus Dei, Propheta Dei, Rex ab ipſo electus Deo, & unctus in Regnum, flagellis ſe ſpontaneus offerebat, nec erubeſcebat; & Tu erubeſcis? Non multum iſta verecundia Tibi opitulabitur, cum ad Judicium Dei veneris: Sed pudoris Te iſtius pœnitebit, cum in conſpectu non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum, & omnium Poteſtatum Cæleſtium conſtitutus, cœperis peccata propria non negare ... Non eſſet hodie in requie ſervulus meus Job, ſi erubuiſſet tres illos Reges Amicos ſuos; nec ipſe David, ſi erubuiſſet delicta propria confiteri ..... Et quia uterque eorum non erubuit factorum ſuorum pretium in mea ponere poteſtate, meo ſe judicio voluntatique committere; nec Ego de talibus Servulis erubeſcam, ut appellem Amicos meos, qui meam ſtuduerint facere voluntatem*. (*a*) Accedere etiam ad ipſius meritum debet, quod cum a pernicioſa diſſenſione ipſe jam diſceſſiſſet, ab eadem itidem ſuo exemplo brevi abducturum eos confidamus, qui hactenus illius, tamquam ſui Ductoris, ſigna ſunt ſecuti.

Si Dioſcori interitus, qui in ſua ſentiendi pravitate obiit, ut ſcribit Leo Magnus, (*b*) *in profundiora dejecit aſſeclas ejus; & perfidiæ incentore ſublato, inſtabiles quædam, & inſipientes animæ habent, quod paveant, non habent, quod ſequantur*; quales nunc eſſe

(*a*) *Enarrat. in Pſ. David.* 37. n. 51. *Tom.* 1. *Oper. col.* 838. *Edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*.

(*b*) *Epiſt.* 111.

se Febroniani debent, Auctorem suum videntes, non jam extinctum, sed immutatum, sed Sectatorum omnium in seipso damnantem errores? Habent illi adhuc quem sequantur, si ipso praeeunte redire ad officium, ad sanitatem velint; sin renuant, & in sua defectione persistant, quid jam illis supererit, detracto Duce, nisi ut incerti paveant, confusi ut erubescant? Qui enim se a Romana Ecclesia sejungunt, in eaque constitutam Unitatem dividunt, dum amantissimae suae Matris sinum, & amplexum recusant, omnem suam substantiam quasi profugi, & inopes dispergunt. Verumtamen pergant illi, quas libuerit, fraudes insidiasque huic Ecclesiae struere, atque inferre calumnias, &, ut magis adhuc obtrectent, Saeculi Potestatibus eamdem obsistere, atque adversari clament; tamen vel inviti agnoscant, ac fateantur necesse est, quanta nunc iis auctoritatis species decesserit, quamque in apertum aggerata illa falsitatis commenta proferantur. Neque se magno similiter errantium numero tueri poterunt, sibique de multitudine blandiri; ut enim Ambrosius egregie monuit: (a) *Multitudo sociorum impunitatem non facit criminum: Nam in Sodoma, & Gomorrha, & in totis quinque Civitatibus innumerabiles utique habitabant Populi, & omnes pariter . . . . igneis imbribus conflagrarunt.*

Nos interea Myriophytanum Episcopum, qui manifesta professione a se abjecit ac repulit quidquid in Scriptis suis Romana detestatur Ecclesia, & nihil simu-

(a) *Lib. de Laps. Virginis consecr. Cap.9. n. 41. Tom.2. Oper. col. 316. supracit. Edit. Paris.*

simulatum, nihil obscurum, nihil ambiguum in sua Retractatione intexuit, diutius morari non possumus, quin, etsi magno a Nobis locorum intervallo divisum, in Spiritu Caritatis amplectamur; & ab ineffabili misericordia Dei non judicemus alienum, sed omnis culpæ abolitionem, & Apostolicæ pacis gratiam impertiamur: *Nullas patitur veniæ moras vera Conversio; & in dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam*. (a) Aliter, uti docuit per aptissimas similitudines Cyprianus, (b) præcluderemus, atque abscinderemus iter doloris, ac pœnitendi viam; & dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipsa tollitur. Supremus enim Creator noster magis placatur voluntate, quam sanguine, ut ostendit in Abraham, cujus fidem in Filii oblatione requisivit; at si eum jussit offerri, tamen non permisit occidi. (c) Huic Nostræ voluntati magnum adjecit incitamentum Trevirensis Archiepiscopus, qui idipsum a Nobis summo studio postulavit. Ipsi non solum omnem habemus, pro sua amplitudine, ac virtute, fidem; sed tantum existimationis, caritatis, ac laudis pro innumeris suis in Ecclesiam meritis deferimus, ut incredibilem in modum illius studiis, illius gloriæ faveamus. Ejus maximæ, post Deum, in eximio hoc opere partes exstiterunt; ejusdem Consiliis, atque Actis, tam præclara incœpta præclariores sunt exitus consecuti.

Sum-

(a) *S. Leo M. Epist.* 83. *Cap.*4.
(b) *Epist.* 52. *juxt. Edit. Parif.* 1603.
(c) *S. Petr. Chrysol. Serm.*108. *Edit. Lugdun.* 1627.

Summa est præterea ipsius Nobiscum conjunctio, summa erga Apostolicam hanc Sedem observantia. Quapropter dum ipsum debita hac prædicatione prosequimur, dum tantopere de sua pietate gaudemus; adhuc multo majore fiducia nunc ab ipso petimus, eumque obsecramus, ut pastorali Animo pergat Adversariorum Machinamenta confringere, Coepiscoporum excitet diligentiam, ut quos eadem Unitatis causa conjungit, eodem ardore inflammentur in revocandis iis, qui a veritatis semita inconsultius deerrarunt in suis Ecclesiis, ut ita *Domini ovile reparetur, & per sollicitudinem Caritatis atque doctrinæ, omnes Christi Oves unum se sentiant habere Pastorem.* (a)

Hæc sunt, VENERABILES FRATRES, quæ in sinu Nostro diutius continere præ gaudio non potuimus, quin Vobiscum communicaremus; ut quos antea sollicitudinis, ac doloris socios habuimus, nunc consolationis Nostræ compotes, participesque faciamus. Præclaram tribuit annunciandæ hujus lætitiæ opportunitatem, illamque potissimum auget, hæc ipsa solemnis, quam celebramus, Reparationis dies. (b), in qua *Rex pacis, cum sua pace procedens, fugavit omne dissidium*

(a) *S. Leo M. Epist. 141. in fin.*

(b) Alexander PP. VI., uti proditum in Diario Burchardi Cæremoniarum Magistri, habuit die 25. Martii 1498. Consistorium secretum, recurrente Dominica quarta Quadragesimæ, *Lætare* nuncupat., in quo providit nonnullas Episcopales Ecclesias. Benedixit Rosam auream; & deinde venit ad Cappellam majorem, in qua celebravit Missam Card. Perusinus.

Julius PP. II., teste Diario Paridis de Crassis Cærem. Mag., habuit Consistorium secretum in Aula Paramentorum die 23. Februarii 1505., recurrente Dominica tertia Quadragesimæ; & postea venit ad Cappellam, in qua Missam cantavit Archiepiscopus Atheniensis Adsistens.

In Diario Phebei Cærem.Mag., A. 1646., legitur: *Feria 2. die 12. Mensis Martii, licet sit Festum Palatii, videlicet S. Gregorii Magni, tamen habitum est Consistorium secretum, præsentibus triginta Cardinalibus; in quo propo-*

dium, dissensiones depulit, discordiam perturbavit, & sicut Cælum splendor Solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat . . . ut nunc procedente Christo Rege pacis omne, quod triste est, auferatur a medio, & illucescente veritate, fugetur mendacium. (*a*)

Hic etiam aptissimus se obtulit Nobis ad Vos alloquendum locus, e conspectu nempe gloriosæ Confessionis Principis Apostolorum, qui Petra est, ad quam eliduntur filii Babylonis; & obtinens cum æterno Sacerdote indeficiens consortium, Sedi suæ præesse non desinit, ut omnino Febronii pœnitentiam ejus patrocinio referre debeamus.

Plurimam quoque jucunditatem attulit Vos alloqui e latere Corporis Magni Leonis, quo Christus utitur assertore; cujus Scripta suavissima præbent legentibus spectacula; *quemque Advocatum, & Propugnatorem veritatis invenimus.* (*b*)

Gloriemur itaque in Domino, VENERABILES FRATRES, & causam hujusce actionis ad originem suam, caputque ferentes, illi immortales gratias, illi laudem, gloriam, & honorem tribuamus, in cujus manu & hominum corda, & momenta sunt temporum.

propositæ sunt multæ Ecclesiæ, & petitum Pallium pro Ecclesia Strigoniensi &c. Heri mane, cum SSmus (Innocentius PP. X.) *Cursori dixisset, quod hac mane esset Consistorium; dictum est respondisse: Esse Festum Palatii, & ideo celebrari non posse Consistorium. Cui quam prudentissime Summ. Pontifex*, Possumus., *inquit*.

Clemens XIII. die 24. Decembris 1767. mandavit indici Consistorium secretum, dum cantabantur prim. Vesper. Nativitatis D. N. J. Christi; quibus expletis, habuit Consistorium in Aula Consistoriali Palatii Quirinalis, & gravi Allocutione exposuit necessitates Catholicæ Ecclesiæ, & decrevit solemnem utriusque Cleri Supplicationem habend. die 28. ejusd. Mensis, Fest. SS. Innocentium, in Basilica Vaticana. Cui idem Summus Pontifex cum Saç. Cardinal. Collegio, ac omnibus Romanæ Curiæ Præsulibus interfuit.

(*a*) *S. Petr. Chrysol. Serm. 149. cit. Edit.*

(*b*) *Theodoret. Episc. Cyr. ad S. Abund. Episc. Comens. apud Baron. ad ann. Christi 450. n.33. Tom.8. Annal. Edit. Lucens.*

EPISTOLA DECRETALIS

QUA

CONTROVERSIA DE PERTINENTIA

PROTECTIONUM

Cappellæ ad Præsepe in Basilica S. Mariæ Majoris,

ET

Collegiorum S. Bonaventuræ, & Montis Alti Bononiæ

INTER

S. R. E. CARDINALES

JO: FRANCISCUM ALBANUM

S. COLLEGII DECANUM

MARIUM MAREFUSCUM,

ET

INNOCENTIUM DE COMITIBUS

DEFINITUR

Ac simul futuris vacationum Casibus prospicitur.



ROMÆ MDCCLXXX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

PIUS PAPA SEXTUS

Ad perpetuam rei memoriam.



Omanum decet Pontificem iis præſertim cognoſcendis finiendiſque cauſis operam dare, quæ inter S. R. E. Cardinales ob divini cultus, ſtudiorumque rationem aguntur; ac æque par eſt, ut cum illæ ex Apoſtolicis ſuorum Deceſſorum Litteris ſint exortæ, ac ſæpius in contentionem deductæ, ad ipſum tamquam ad fontem, unde manarunt, revocentur; quo tandem fiat, ut initiis ſuis exitus plane conſentiant.

Cum itaque obitu Cardinalis Alexandri Albani inſtaurata nuper fuerit inter tres S. R. E. Cardinales, nimirum Venerabilem Fratrem Noſtrum Joannem Franciſcum Albanum Epiſcopum Oſtienſem, & Veliternenſem, ac Dilectos Filios Noſtros Marium Tituli S. Auguſtini Mareſuſcum, & Innocentium Tituli S. Silveſtri in Capite de Comitibus quæſtio ſuper pertinentia *Protectionum* tum Cappellæ ad Præſepe Jeſu Chriſti in Baſilica S. Mariæ Majoris, tum Collegii S. Bonaventuræ in Conventu SS. XII. Apoſtolorum de Urbe, tum Collegii Montis Alti in Civitate Bononiæ, quas felicis recordationis Sixtus PP. V. Prædeceſſor Noſter ſuis Apoſtolicis Litteris datis v. Id. Jun. & Non. Octobris Anni 1586. & xv. Kal. Decembris Anni 1588. certis quibuſdam Legibus conſtituit; Nos conſiderantes, hujuſmodi quæſtiones in ſingulis fere *Protectionum* vacationibus excitatas dirimi hactenus nequiviſſe judiciis particularium Congregationum, & Rotæ Auditorii, pro Perſonarum & rei dignitate duximus Cauſam ad Nos avocare, eamque omnibus ſedulo perpenſis juribus ac rationum momentis a memoratis Cardinalibus ad Nos ſcripto delatis, & in conſilium adhibitis tribus Dilectis Filiis præſtantibus Conſiſtorii Noſtri Advocatis, in quos ob publica, quibus unice funguntur, munera, nulla cadere poteſt

A 2 priva-

privati ſtudii ſuſpicio, iiſque concordibus animis cum Noſtro antea percepto, & intra Nos retento judicio conſentientibus, ita definire decrevimus, ut nedum præſenti, ſed futuris etiam controverſiis proſpiceretur.

Et quoniam res tota a Sixti voluntate pendet, opus eſt, ut illam ſingulariter in Cauſa judicanda ſpectemus. Tres fuerunt a Pontifice conſtituti Ordines Protectorum, quorum alterum alteri ſubſtituit, ut ex Litteris, quas modo memoravimus, aperte dignoſcitur. Nam ex hac vita decedens Cardinalis Alexander Perettus ſuus ex Sorore Pronepos, in quem tres *Protectiones* Sixtus cumulaverat, vocavit primo *antiquiorem S. R. E. Cardinalem*, vel ex *noſtra Familia* tantum, ut in erectione Collegii S. Bonaventuræ, vel ex *noſtra Familia & Parentela*, ut in aliis duabus erectionibus factum eſt. Hiſce autem deficientibus, vocavit ſecundò *antiquiorem Cardinalem ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum*; & eo denique non extante, vocavit tertio in Defenſorem Cappellæ *primum Presbyterum Cardinalem pro tempore exiſtentem*, in Defenſorem Collegii S. Bonaventuræ *Protectorem Ordinis Minorum Conventualium*, & in Defenſorem Collegii Montis Alti alium Cardinalem, quem *Rector & Scholares* duxerint eligendum, hac tamen adjecta lege quoad Cappellam, *ut licet nullo exiſtente Noſtri ſanguinis Cardinale, alius ad id, ut præfertur, vocatus Cardinalis munus Protectoris hujuſmodi obire & exercere inceperit, nihilominus ſi poſtmodum contingat, aliquem Noſtræ Familiæ & Parentelæ ad Cardinalatus honorem aſſumi, is in ejuſdem muneris functione præferri debeat, & conſtitutio & deputatio cujuſvis alterius in Protectorem hujuſmodi facta eo ipſo ceſſare & expirare debeat*.

Hac præcognita Pontificis voluntate ad duo capita redigi poteſt triangularis, quæ nuper orta eſt, concertatio, ad *Parentelam* nimirum, & ad *Originem* ex Provincia Marchiæ Anconitanæ. Nam Cardinalis Innocentius de Comitibus uti Conſanguineus Dilecti Filii Nobilis Viri Ducis Franciſci Sfortia deſcendentis a Fœmina de Familia Peretti contendit ſe in *primo* vocatorum Ordine contineri quoad *Protectionem* tam Cappellæ ad

Præfe-

Præsepe, quam Collegii Montis Alti, ad quas antiquior Cardinalis vocatur *ex Nostra Familia & Parentela*. Contra vero Cardinalis Joannes Franciscus Albanus ex Nostra Urbini Civitate oriundus duabus hisce *Protectionibus* ultrò remissis, contendit, se esse *in secundo* genere vocatorum quoad *Protectionem* Collegii S. Bonaventuræ, quæ cum in prima Sede ad solos Cardinales de Nostra Familia fuerit coercita, cumque Familia Peretti jam omnis defecerit, sibi unice tamquam *Cardinali antiquiori Provinciæ Marchiæ* Anconitanæ Oriundo debeatur. Tandem Cardinalis Marius Maresuscus Maceratæ natus, putat has tres *Protectiones* sibi dumtaxat esse adjudicandas, cum neget Cardinalem de Comitibus esse Sixti V. consanguineum, & Cardinalem Albanum esse ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum.

Ut itaque seorsim agatur de utroque controversiæ capite, ad *Parentelam*, quod attinet, utique cæteris esset præferendus Cardinalis de Comitibus, si is ex Familia Peretta, & ex sanguine Sixti V. descenderet: At quoties ab eadem Familia nec per mares, nec per fœminas originem trahit, nulloque proinde, ut ipse agnoscit Cardinalis, sanguinis vinculo eidem Familiæ & Pontifici jungitur, sed tantum per medium Fœminæ Victoriæ de Comitibus Amitæ suæ nuptæ Duci Cajetano Sen. Sfortia, consanguineus est Ducis Francisci, sane ejus postulatio locum non habet, tam si *nostræ familiæ* vocabulum, quam si *parentelæ* nomen spectetur. Quamvis enim familiæ significatio varie accipi possit, & eo nomine non Agnati solum, sed etiam Cognati, immo Gener & Nurus aliquando comprehendantur, communi tamen, & proprio jure *Familia* indicat Agnatos, & illi ejusdem familiæ appellantur, qui ex eadem Domo & Gente sunt. Porro dubium non est, quin propria & communi significatione fuerit a Sixto V. *familiæ* nomen usurpatum, nam semel ac vocavit ipse primo loco Cardinales *de nostra Familia*, ex propria vi illius possessivi = *Nostra* = idem est, ac si addito cognomine, vocasset Cardinales de Familia, & Agnatione Peretta, ab eodem Pontifice in descendentia Sororis instaurata, ut alias declaratum est in Constitutionibus Collegii S. Bonaventuræ a Car-

dinali Alexandro Peretti de mente ipsius Pontificis editis, & ab eodem in specifica forma confirmatis, & ut re plene discussa in lite acta Anno 1671. inter Cardinalem Paulum Sabellum, & Decium Azzolinum definitum est a nostro Rotæ Auditorio.

Neque majus aderit Cardinali de Comitibus præsidium ex latiori illo Vocabulo *Parentelæ*. Ii siquidem inter se consanguinei appellantur, & sunt, qui ab eodem sanguine proficiscuntur. In his censentur Cardinales omnes Cognati, & descendentes ex fœminis, qui in priori familiæ appellatione minime continebantur; sed non censentur, nec censeri possunt ii, qui a Sanguine Familiæ non descendunt, ac propterea non sunt ipsi Familiæ consanguinei. Non enim Pontifex vocavit Cardinales de Parentela hæredum, & Successorum, aut Consanguineos Consanguineorum, sed consulto, atque iterato vocavit DE NOSTRA *parentela* Cardinales, habita relatione *ad se ipsum*, ex qua sicuti ambigi non potest, quin soli Fundatoris Consanguinei fuerint honorati, ita ambigendum non est reliquos omnes exclusos fuisse; Quamvis enim isti possint esse Successorum, & hæredum consanguinei, extranei tamen sunt quoad Fundatorem, cujus persona debet spectari. Idque fit, evidentius ex aliis etiam Pontificiæ dispositionis partibus, ubi *substitutos* ad *Protectiones* admittendos esse edixit, *nullo existente nostri Sanguinis Cardinale*, & ubi tertio in Cappella Sepulchrum *pro nostris dumtaxat consanguineis* sepeliendis assignavit. Quæ quidem omnia optimè declarant diversos esse nequivisse Cardinales de nostra Familia, & Parentela, quam Cardinales nostri Sanguinis; immo in ore, & mente Pontificis ea Vocabula fuisse Synonyma.

Nec secus significavit Pontifex, ubi in iisdem litteris erectionis Cappellæ ad Præsepe, deficientibus lineis masculinis, & fœmininis primum Michaelis, deinde aliorum omnium ex sua Sorore pronepotum, substituit in Jurepatronatus Cappellæ, ejusque Cappellaniarum *eum, qui nobis fuerit Sanguine proximior*. Ideo enim hæc postrema substitutio, a qua argumentum trahitur ad *Protectiones*, porrigi contenditur ad consanguineos Consanguineorum, quia supponitur post extinctas memoratas lineas

mascu-

masculinas, & fœmininas Pronepotum ad Juspatronatus vocatas, neminem superesse potuisse ex Pontificis sanguine, ac proinde substitutionem eamdem, ne otiosa dicatur, aptari Consanguineorum Consanguineis oportere. At hujusmodi interpraetationi verba resistunt, & facta: Latère Pontificem non poterat *Parentela* sua; Quapropter si verè nulli sibi fuissent Consanguinei præter Descendentes suorum ex Sorore Pronepotum, non utique eis in Jurepatronatus substituisset illum, qui *sibi* esset *Sanguine proximior*. Impropria loquutio, ac falsa demonstratio si nemini, eo sanè minus adscribendæ sunt Pontifici Maximo de re familiari sibi notissima loquenti. Exhaurivit Ipse quidem in vocatione Successorum ad Juspatronatus Cappellæ universam Descendentiam suorum ex Sorore Pronepotum, omnesque proinde exhaurivit Consanguineos suos *de Lineis contentivis proximis, & inferioribus*; Sed cum idem non fecerit quoad alios suos Consanguineos Linearum Transversalium superiorum tam ex latere Patris, quam ex latere Matris, qui *Lineas contentivas remotas* efformabant, hos profecto, qui verè de ipsius Sanguine erant, putandum est Pontificem invitasse ad Juspatronatus in postrema Substitutione illius, *qui fuerit nobis Sanguine proximior*. Revera memoriæ proditum est a Scriptoribus fide dignis, & publicis etiam comprobatur monumentis Patrem Sixti V. plures habuisse Sorores pluribus nuptas Familiis, aliosque eidem Pontifici non defuisse Consanguineos, quos inter nostrum Rotæ Auditorium in præfata Lite Anni 1671. recognovit ipsummet Cardinalem Andream Baronum ex Provincia Marchiæ, qui post mortem Cardinalis Alexandri Peretti *in Protectionibus nunc controversis successit*.

Quidquam obesse nec potest, agi de dispositione perpetua, & de materia favorabili; Nam efficit id quidem, ut quot sunt, aut esse possunt veri Consanguinei Pontificis, ii quovis in gradu sint, omnes admittantur; Sed efficere minimè potest, ut ii admittendi sint, quos littera non comprehendit.

ALTERUM controversiæ caput in eo versatur, num *Urbini Civitas*, ex qua originem ducit Cardinalis Joannes Franci-

ſcus Albanus, ſit intra fines Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, ita ut is haberi debeat *pro antiquiori Cardinali ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundo*, quem ſecundo loco Pontifex ad memoratas *Protectiones* invitavit. Paucis tamen quæſtio iſta abſolvitur. Relicta enim Diſputatione de Finibus *antiqui Piceni*, ac de ejus *Pentapoli*, quam in exordio alterius controverſiæ egit Lucubratio pro jamdiu defuncto Cardinali Annibale Albani occaſione inferius memorandæ Litis evulgata, & inſcripta = *Status Geographicus Marchiæ Anconæ pro intelligentia Textus trium Bullarum Pontificis Sixti V. ſuper antiquiori Cardinali Marchiæ vocato ad Protectionem Cappellæ Sixtinæ in Baſilica S. Mariæ Majoris, & duorum Collegiorum Montis Alti Bononiæ, & S. Bonaventuræ Urbis edit. Rom.* 1726.; illud profecto extra controverſiam eſt poſitum Provinciam Marchiæ Anconitanæ jam inde ab eo tempore, quo Provincia eſt conſtituta, ad noſtram ætatem uſque, fuiſſe ſemper re, legibus, juribus, conſuetudinibus, privilegiiſque diſtinctam, ac ſeparatam ab Urbini Civitate, ejuſque Ducatu, ſi ſolæ Ægidianæ Conſtitutiones excipiantur; Quæ quidem ea una de cauſa in Urbinatenſi Ducatu viguerunt, dum Cardinalis Ægidius Legati munere fungebatur, quia idem Cardinalis tamquam Vicarius *Generalis Papæ* omnimoda auctoritate pollebat in univerſa Eccleſiaſtica Ditione. Cæterum Legati omnes, qui Ægidium anteceſſerunt, aut ſunt conſecuti, ſe ſe ſubſcripſerunt diſtincto illius Legationis nomine, quam obibant, & Rectores *Marchiæ*, *Spoleti*, *Urbini*, aliarumque Provinciarum fuerunt nuncupati, ut vetera, & recentiora diplomata teſtantur, & concors eſt Geographorum, aliorumque Scriptorum ſententia, ſi pauci demantur, qui rerum ignari in errorem prolapſi ſunt, vel quia diviſiones ſpectarunt Provinciarum, quæ a Religioſis Viris pro libitu fiunt, vel quia ſpirituales Diœceſum fines cum temporalibus miſcuerunt.

Id clarius evincitur, ſi tempora ſpectentur, quibus Pontifex haſce *Protectiones* inſtituit. Tunc enim *Marchiæ Anconitanæ Provincia* pleno dominio Sanctæ Sedis, & Romani Pontificis ſuberat; Urbinum verò non item. Conſtat enim Ducatum illum multis

multis ante Sixtum annis concessum à Sancta Sede fuisse Familiæ de Ruvere per formalem, ut ajunt, infeudationem cum pleno imperio, regalibus, & jure Principatus, illiusque potestati paruisse. Quæ si advertantur, planum est, Urbini Civitatem, & Ducatum, qui tunc ex Provinciis Apostolicæ Sedi immediatè subjectis non erat, his verbis = *ex Provincia Marchiæ Anconitanæ* = comprehendi minimè potuisse. Juris enim est non ambigui, verba intelligenda esse secundum tempus, quo fuerunt prolata; Eò vel magis quia cum idem Pontifex fundavit, erexitque Collegium Montis Alti, ita nuncupatum ex loci nomine, ubi is natus fuerat, disertè declaravit, illud ab se erectum, fundatumque fuisse, ut consuleret *locis temporali nostræ Ditioni subjectis*, utque *Provinciæ nostræ Anconitanæ* prospiceret, ac transiens subinde ad Cardinalem ejusdem Collegii Protectorem, invitavit post Cardinales consanguineos, *Cardinalem EX DICTA PROVINCIA Marchiæ Anconitanæ oriundum*; Quibus sanè verbis Ducatum Urbinatensem, & Urbinates temporali Ditioni tunc non subjectos, fuisse dilucidè exclusos facilè est intelligere. At verò ambigi nequit, quin Sixtus V. in omnibus iis dispositionibus, in quibus Marchiam Anconitanam nominavit, de una, eademque Provincia semper fuerit locutus.

Sed pluribus opus non est, semel ac constat, Marchiæ Anconitanæ Provinciam ab Urbini Ducatu habitam ab eodem Pontifice fuisse pro distincta, & separata. Constat enim ex Litteris Apostolicis datis Idib. Martii 1589. Pontificem Sixtum erexisse Rotæ Tribunal in Civitate Maceratæ *pro felici regimine Provinciæ nostræ Marchiæ*; Et huic quidem cuncta Provinciæ Loca submisisse, sed non item partem ullam Urbinatensis Ducatus, cum illum extra Marchiæ Provinciam situm esse censuerit. Monstrant item aliæ ejusdem Pontificis Apostolicæ Litteræ datæ ix. Kalend. Junii 1589. Ecclesiam Episcopalem Firmanam tot prærogativis illustrem fuisse ab Ipso erectam in Ecclesiam Archiepiscopalem, eo quod *in Provincia Marchiæ nulla esset Metropolis Ecclesia*: Id autem nec asseruisset Pontifex, nec asserere revera potuisset, si Ducatum Urbinatensem ex ea putasset Pro-

vincia

vincia : Nemini enim meliùs quam ei notum erat Urbinatensem Ecclesiam ante annos viginti quinque , scilicet anno 1563. in Metropolim erectam a Pio IV. felic. record. Pontifice fuisse. Quo in loco prætereunda non sunt ea , quæ in iisdem litteris consulto addidit Pontifex , dum ait = *Quemadmodum Firmum Picenum olim nominabatur , ita aliis temporibus Marchiam Firmanam vocatam fuisse , quod Firmum primaria Civitas in dicta Provincia existeret* = Hisce enim animadversis planum est , ab eo usque tempore desiisse distinctionem inter Marchiam Firmanam , & Anconitanam, & tum Firmum , tum alia totius Provinciæ loca non per extensionem , sed proprio , & communi usu sub uno Provinciæ Marchiæ Anconitanæ vocabulo comprehensa fuisse.

In tanta rei luce , si qua possessio , aut consuetudo ab Urbinatibus afferri posset in medium , ea spectanda non esset : Jus enim clarum vincit causam possessionis , & quod non ratione introductum , sed errore primùm , deinde consuetudine est invectum , id diutiùs servari non decet . Cæterum observantia Urbinatibus magis obest , quam prosit . Nam Urbinum , ejusque Ducatus etiam post illius devolutionem ad S. Sedem , non secùs atque antea , remansit ab omni alia Provincia disjunctus , ita ut cum Provincia Marchiæ Anconitanæ nihil omnino habeat commune . Ad *Protectiones* verò quod attinet , eas obtinuit quidem omnium primus Cardinalis Gaspar de Carpineo , mox Cardinalis Annibal Albanus , tandemque Cardinalis Alexander ex eadem Albana Familia , omnes ex Urbinò oriundi ; At primus si duas ex illis obtinuit anno 1689., id nonnisi ex Transactione factum est , inter ipsum inita , & Cardinalem Petrum Matthæum Petruccium Æsinatem , qua fuit cautum , ut *Protectiones* dividerentur inter eos cum lege reversionis favore superstitis , hac insuper adjecta declaratione , ut nullum ex hoc placito illatum censeretur hodiernæ , tunc etiam promotæ quæstioni præjudicium ; quo fit , ut hæc privata , & circumspecta Conventio afferri in exemplum non queat . Alii vero Cardinales duo per id temporis *Protectiones* obtinuerunt , quo nullus aderat ex Provincia Picena Cardinalis , tacentibus cæteris in eum casum substi-

ſubſtitutis; quorum proinde ſilentium nocere non poſſe Succeſſoribus in tertio hoc Ordine comprehenſis, & ex jure proprio venientibus eſt exploratum.

At præteriri non debet, Cardinalem Annibalem Albanum, ſuſcepta antea Lite cum Cardinali Proſpero Mareſuſco Maceratenſi coram Congregatione Particulari a Benedicto XIII. fel. record. Pontifice deputata, editiſque hinc inde Allegationibus, Diſſertationibuſque, de quibus ſupra meminimus, ultrò eidem Liti ceſſiſſe, & id *facto* agnoviſſe, quod *verbis* etiam profeſſus fuit in Commentario Vitæ Clementis XI. ab ſe evulgatæ, ubi dicitur, eſſe *Urbinum Nobile Umbrorum municipium*. Quæ autem modo a Card. Joanne Franciſco Albano adijciuntur, ſe eſſe Protectorem Provinciæ Marchiæ, Eccleſiæ, & Collegii Piceni Urbis, & loca duorum Collegiorum Piceni, & Montis Alti adoleſcentibus ex Provincia Marchiæ addicta, Urbinatibus etiam collata aliquandò fuiſſe, ea levia admodum ſunt. Nam nulla lex ſcripta eſt, quæ præcipiat, ut ſoli ex Provincia Marchiæ Cardinales patrocinium ſuſcipiant ejuſdem Provinciæ, Eccleſiæ, & Collegii in Urbe exiſtentis, ſed arbitrio, placitoque Deputatorum Nationis eliguntur. Quoad loca verò duorum Collegiorum Urbinatibus adoleſcentibus collata, aut id ex erronea opinione factum eſt, aut loca ex iis eſſe potuerunt, quæ in Sixtinis Litteris pro Collegio Montis Alti editis reſervata ſunt liberæ Cardinalis Protectoris diſpoſitioni.

Deeſt igitur jus omne tum Cardinali Innocentio de Comitibus, tum Cardinali Joanni Franciſco Albano. Hinc reliquum eſt, ut Cardinali Mario Mareſuſco, qui ex Provincia Marchiæ Anconitanæ certam habet originem, & antiquior eſt cæteris ejuſdem Provinciæ Cardinalibus, *Protectiones omnes* unicè debeantur. Quare finem huic Controverſiæ imponentes *decernimus*, *Protectiones Cappellæ ad Præſepe in Baſilica S. Mariæ Majoris*, *Collegii S. Bonaventuræ in Conventu XII. Apoſtolorum de Urbe*, *& Collegii Montis Alti in Civitate Bononiæ ſpectare ad dilectum filium noſtrum Cardinalem Marium Mareſuſcum cum omnibus juribus*, *præeminentiis*, *legibus*, *& conditionibus*, *quæ in ſæpius memoratis litteris*

teris felicis recordationis Pontificis Sixti V. continentur : & proinde *VOLUMUS*, *ET MANDAMUS*, *ut is qua verus supradictorum trium locorum Protector*, *& Defensor ab hac die imposterum cunctos possessionis actus*, *& jura exercere liberè valeat*, *& qua talis ab omnibus agnoscatur*, *recipiaturque*, *quavis contradictione*, *& reclamatione remota*.

Verum quia mens nostra est, ut quoad fieri possit, futuro etiam tempore omnium litium, dissidiorumque semina in *Protectionibus* istis optandis elidantur, ideo nos morem, & exempla sequuti Prædecessorum Nostrorum, qui sæpius novis Constitutionibus editis veterum legum ambiguitatem providè sustulerunt, enunciatas Sixtinas litteras interpretando, explicando, & supplendo cohærenter ad ea, quæ supra constituta sunt, ex certa scientia quasdam adiicimus MOTU PROPRIO, & auctoritate nostra Apostolica declarationes, quæ instar legis perpetuo valituræ habendæ sint, perinde ac si in iisdem litteris appositæ usque ab initio fuissent.

Declaramus itaque, & præcipimus, ut substitutio Cardinalium *de nostra Familia*, quæ primo loco facta est, quoad *Protectionem* Collegii S. Bonaventuræ, habeatur pro extincta, cum Familia, & Agnatio Peretta, ad quam fuerat coercita, jamdudum defecerit, & ut deinceps *Protectio* ejusmodi, exclusis omnibus Cardinalibus cognatis, spectet tantum ad antiquiorem ex Provincia Marchiæ Anconitanæ Cardinalem, eoque non existente, ad Cardinalem Protectorem Ordinis Minorum Conventualium, ab eodem Pontifice Sixto V. substitutos. Hinc approbamus, & confirmamus latum hac in re a Rota judicium inter Sabellum, & Azzolinum S. R. E. Cardinales in decisione Nobis exhibita, cui Titulus = *Romana*, *& Bononien. Protectionum* 20. *April*, 1671. *coram Albergato*, & cui perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus ejus tenorem pro expresso habentes, etiamsi decisio isthæc typis impressa non fuerit, & aliis quibuscumque non obstantibus defectibus.

Declaramus præterea, & decernimus, ut Cardinales tantum *de cognatione*, *& consanguinitate Sixti V.*, quocumque in gradu

gradu sint, ad alias duas *Protectiones* Cappellæ ad Præsepe, & Collegii Montis Alti ante alios admittantur, & ut illis salvum sit jus avocandæ *Protectionis* Cappellæ a cæteris Cardinalibus substitutis eo modo, quo in litteris Erectionis ejusdem Cappellæ præscriptum est. Qua in re sicuti duæ sunt Congregationum Particularium ab Urbano VIII., & ab Alexandro VII. deputatarum invicem pugnantes resolutiones, a quarum altera jus ejusmodi Cardinali Francisco Peretto probatum fuit, altera autem ad postulationem Nationis Picenæ confirmata a Clemente IX. suis Apostolicis Litteris datis die 25. Maii anni 1668. Cardinali Virginio Ursinio negatum, ita penitus abrogata secunda hac resolutione, ejusque confirmatione, quam idem Clemens IX. ad viam juris redegit eo ipso quod causam subinde ortam inter Sabellum Sixti V. Pontificis consanguineum, & Azzolinum Rotæ Auditorio *prout de jure* definiendam commisit, priorem illam resolutionem approbamus, & inviolabiliter servandam esse præcipimus.

Declaramus etiam, & præscribimus, ut Cardinales oriundi ex Urbino, ejusque Ducatu, ne deficientibus quidem Cardinalibus ex Provincia Marchiæ, *ad Protectiones* imposterum admitti valeant, quum in præjudicium aliorum vocatorum subsidiaria hæc admissio concedi nequeat iis, qui a Provincia Marchiæ Anconitanæ omnino extranei nullum habent vocationis primordium.

Cum vero dubitari possit comprehendi, nec ne debeant nomine Cardinalium ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundorum Cardinales ex nostris Civitatibus *Camerini*, & *Fani* oriundi: Etenim ex una parte constat *Camerinum* suos habuisse Duces, & ad Umbriæ Provinciam pertinuisse; In *Fano* autem ideo servandam non esse Constitutionem Carpensem, inter cætera edixit Rotæ Tribunal *in Fanen. Salviani* 16. *Aprilis* 1717. *cor. Gamaches*, quia cum Geographis censuit eam Civitatem intra limites Provinciæ Marchiæ non esse, sed sitam reperiri in Provincia Umbriæ: Parte vero ex altera notum est, utramque Civitatem fuisse a Sixto V. enumeratam inter Civitates Provinciæ

Mar-

Marchiæ in suis Apostolicis Litteris datis Id. Martii 1589. in quibus *non obstantibus Constitutionibus dictæ Provinciæ*, *& Locorum Statutis*, *Legibus*, *Naturis*, *& Privilegiis pro ea vice dumtaxat specialiter & expresse* derogatis, Rotam Maceratensem *pro felici Regimine Provinciæ Marchiæ* instituit, quæ Litteræ confirmatæ fuerunt primum a Gregorio XIV. per alias Litteras diei 12. Julii 1591. & deinde, præviis duabus Rotæ Decisionibus, ab Innocentio X. per Litteras diei 5. Martii 1646: Nec non *Camerini* Urbem, ex qua ortum habuit Mater Sixti V. fuisse ex præcipua ejusdem Pontificis beneficentia decoratam nominatione trium Civium suorum ad totidem Scholarium Loca in Collegio Montis Alti per Litteras Apostolicas datas xv. Kalen. Decembris 1588.

Hinc, ut ambiguitatem omnem, quæ futurarum hac in re contentionum causa facile esse posset, præcidamus, eam elegimus viam, quæ juris rationi, & Pontificis actibus visa Nobis est magis consentanea. Quapropter supradictarum Litterarum Apostolicarum, cæterorumque omnium monumentorum tenore præ oculis habito, animadvertentes vocationem Cardinalium ex incontrovertibilibus Locis Provinciæ Marchiæ oriundorum *explicitam* habere vocationem in Litteris illis Apostolicis, in quibus tres nunc controversæ *Protectiones* institutæ fuerunt; Cardinales vero Camerinenses & Fanenses vocationem eamdem non aliter sibi afferere posse, quam *inductive* ex aliis mox relatis ejusdem Sixti V. Litteris ad alios effectus editis, in quibus Camerinum & Fanum cæteris Provinciæ Marchiæ Locis quodammodo aggregavit: itemque considerantes majora erga Camerinum, quam erga Fanum Pontificem ipsum exhibuisse suæ dilectionis & munificentiæ argumenta, statuimus, ut ad *Protectiones* primo admittatur antiquior Cardinalis oriundus ex iis Provinciæ Marchiæ Civitatibus, Oppidis, & Locis, quibus naturalis, indubia, & incontrovertibilis Marchiæ Anconitanæ proprietas suffragatur; Horum autem Cardinalium nemine extante, antiquior admittatur Cardinalis oriundus ex Civitate Camerini, ejusque Comitatu; Quorum nemo si adsit, admittatur antiquior Cardinalis ex Civitate Fani, ejusque Locis

oriun-

oriundus. Volumus tamen ut per hoc non sit, nec censeatur quidquam in cæteris innovatum quoad naturam, statum, conditionem, & jura prædictarum Civitatum Camerini & Fani, sed illa non secus, ac jura omnia Provinciæ Marchiæ Anconitanæ in reliquis salva, integra, & in suo robore ac firmitate permaneant.

Et quoniam inter Cardinales ad hujusmodi *Protectiones* vocatos alia etiam excitari potest quæstio, an *Oriundi* censeri debeant Cives tantum ex *nativitate*, vel alii etiam ex *origine*, *allectione*, *ac Privilegio*, quive inter eos servandus sit successionis ordo; Idcirco ut hisce etiam in futurum forsan excitandis dissidiis occurramus, mentem interpretantes Sixti V. Prædecessoris Nostri, decernimus Cives ex sola allectione, vel privilegio, appellatione oriundorum non comprehendi; Eos vero qui tales sint nativitate, & origine ex locis memoratis, esse ad *Protectiones* admittendos juxta antiquitatis ordinem & mox præscriptam pro diversis regionibus unius post alium successionis methodum; Verumtamen originarios ad præsentem effectum, eos tantum censendos esse a Pontifice Sixto invitatos, qui Patrem habuerint in Locis illis natum: Quod si tandem omnes isti Cardinales non extent, tunc reliqui postremo succedant, qui fuerint a Sixto V. nominatim substituti, nempe in *Protectione* Cappellæ ad Præsepe primus Cardinalis in Ordine Presbyterorum, in *Protectione* Collegii S. Bonaventuræ is, qui erit Protector Ordinis Minorum Conventualium, & in *Protectione* Collegii Montis Alti ille Cardinalis, quem Rector, & Scholares elegerint.

Ut autem hæc omnia perpetuo firma sint, volumus præsentem Nostram Sanctionem & Schedulam Motus Proprii nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, sive eam infringi, invalidari, seu revocari posse, sed illam semper validam, & efficacem existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, nec non inviolabiliter observari, etiamsi auditi non fuerint Dilecti Filii Urbinates, Camertes, Fanenses, aliique, quorum interesse poterat,

quum

quum ex deliberata Noſtra voluntate omnia proceſſerint: Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etſi de Latere Legatos, ſeu Vicelegatos, aut Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes, & Clericos, & quoſcumque alios ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique locorum judicari, & definiri, ac ſententiari debere, nec non quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Non obſtantibus Conſtitutione Pii IV. Prædeceſſoris Noſtri de regiſtrandis, Regula Cancellariæ de jure quæſito non tollendo, & quibuſque aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Indultis, uſibus, conſuetudinibus, quibus omnibus ad præmiſſum effectum dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem ut hujuſmodi Decretalis & Schedulæ tranſumptis, ſeu Exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ Sententiæ, Declarationis, & Voluntatis infringere, vel auſu temerario contraire.

Datum Romæ apud S. Petrum die XII. Maii MDCCLXXX. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

PIUS PP. VI.



Regiſtrata in Camera Apoſtolica die &c. Anno prædict. Lib. Signaturar. SSmi exiſten. in Actis Seraphini Clarelli ejuſdem Cameræ Secretarii, & Cancellarii.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

P I I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P Æ VI.


LITERÆ APOSTOLICÆ
IN FORMA BREVIS

D E

SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII

Officialibus, eorumque Muneribus.





R O M Æ MDCCLXXV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

PIUS PP. VI.

Ad Perpetuam rei memoriam.



SACROSANCTAM Tridentinam Synodum, qua post quingentos fere annos, nec frequentia Conventus, nec doctrina, & gravitate Patrum, nec magnitudine, & difficultate quæstionum, quæ dogmata simul, & morum disciplinam continerent, nec studio, ac consensu Principum, aliam coactam fuisse illustriorem accepimus, qui de Orthodoxa fide recte sentiunt habent loco arcis munitissimæ Divinæ Providentiæ miraculo extructæ, qua in maximis schismatum, hæresum, dissensionum periculis securitas,& in fœdissima tempestate tranquillitas Christianæ Reipublicæ parta est. Mille Clypei pendent ex ea omnis armatura fortium, contra quos teterrimi hæreticorum eliduntur conatus, & ignea nequissimi hostis tela quotidie retunduntur. Neque aliter intelligendi sunt mystici illi Clypei, quam canones, & decreta ipsa Concilii, quæ ut semper, & diligentissime ubique terrarum servarentur, Pontifices Romani Prædecessores nostri pro ea potestate, quam ipsis Deus Maximus tribuit, magno studio, vigilantiaque curarunt, optime intelligentes, ex ea observantia maximas in Christianam Rempublicam utilitates redundare. Itaque operæ pretium facturos arbitrati sunt, si Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregatio constitueretur, quæ de omnibus caussis ad hoc Concilium pertinentibus cognosceret, nodos quæstionum solveret, difficultates explicaret, ac decreta, consulto Pontifice, interpretaretur. Cujus quidem Congregationis Præfectus Cardinalis bon. mem. de Rubeis, cum Comitiorum tempore e vita excesserit, Nos, & publicæ totius Ecclesiæ utilitati, & privatæ ipsius Congregationis dignitati, ac splendori egregie consultum iri existimavimus, si primis nostræ ad Apostolatum assumptionis diebus Præfe-

ctura illa dilecto Filio nostro Carolo Victorio Amedeo Tituli Sanctæ Praxedis S. R. E. Cardinali a Lanceis nuncupato committeretur. Atque is quidem, cum sit mirifico quodam pietatis, & religionis studio incensus, ac præterea excellenti prudentia, multiplicique doctrina rerum divinarum ornatissimus, statim circumspiciens, & quasi peritus Architectus perlustrans diligentissime partes omnes ejusdem Congregationis, animadvertit aliquid vitii inhærescere, quod illius venustati officere posse videretur. Id autem est ejusmodi, quod minores Officiales Congregationis, cum pro immutata temporum ratione stipendia satis exigua sibi antea assignata vix suppetant ad vitam sustentandam, consuetudinem, sive abusum potius facile induxerunt, ut Officii, & laboris obtentu aliquid vel certum, vel incertum ab iis, qui ad Congregationem confugiunt, quandoque exigere non dubitent. Quare pro parte ejusdem dilecti Filii nostri Caroli Victorii Amedei Cardinalis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut huic malo, antequam radices ageret, occurrere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes nihil profecto esse, quod, etsi legibus, sanctionibusque munitum sit, a lubrica tamen, malorumque omnium effectrice cupiditate novis quotidie artibus, coloribusque, si quicquam a consuetudine majorum deflectatur, perverti, atque corrumpi non possit, maximeque interesse eos, qui operam in hujusmodi muneribus locant, vacuos plane, ac liberos ab omni vel minima suspicione avaritiæ, pravæque affectionis, nedum corruptelæ esse debere, ut clarius etiam innotescat perpetuum, sincerumque nostrum, & Sanctæ hujus Sedis studium pro religiosa Prædecessorum nostrorum Constitutionum observantia, simulque quæsitus quivis prætextus adimatur cuilibet usui, aut consuetudini, quibus præclarissimæ hujus Congregationis Officiales suam quandoque in expediendis negotiis temporalium lucrorum cupiditatem obtegere, aut excusare quovis modo contenderent; necnon laboriosam operam, quam iidem Officiales in suis quisque muneribus exer-

exercendis præſtant, uberiori gratia, ac benevolentia complecti volentes, ſtipendia, quæ hactenus eiſdem ſolvi conſueverunt, nunc, donec alias Nobis decernere viſum fuerit, ita augeri volumus, ut ad congruum vitæ ſubſidium nihil deſit. Mandamus propterea, ut ſingulis Officialibus prædictis pendantur unoquoque menſe ſcuta Juliorum decem, primo quidem Officiali vigintiquinque, alteri vero, & tertio quindecim, quarto decem, quinto demum (quem nunc, ut priorum labores ſublevemus, de novo addimus) quinque, directis, & ſubſcriptis a Cardinali Præfecto, ſeu a Secretario mandatis, ſeu ordinibus ad Proviſores Montis Pietatis, in quo quidem Monte tota ſumma octingentorum quadraginta ſcutorum ipſis Congregationis Officialibus debita impoſterum deponenda erit. Ipſiſque Officialibus ſic de certo, & ſufficienti emolumento benigne proviſis, volumus, atque diſtricte prohibendo jubemus, ne ii de cætero quicquam pro quibuſcumque negotiis ad ipſam Congregationem quomodolibet ſpectantibus a quovis, etiam prætextu cujuſcumque conſuetudinis, etſi inveteratæ, petere, & exigere, aut etiam ſponte oblatum recipere audeant, adverſuſque eos, ſi in hasce noſtras literas peccaſſe comperti fuerint, omnes, & ſingulas Canonicas leges, & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones contra dantes, & recipientes latas, atque editas, cum omnibus item, & ſingulis pœnis per eas indictis, perinde ac ſi decreta omnia in præmiſſis contenta, eorumque pænales ſanctiones præſentibus noſtris literis de verbo ad verbum inſertæ forent, per eaſdem præſentes approbamus, confirmamus, & innovamus, decernentes, ac declarantes, prædictis omnibus legibus, ac pœnis ſubjici, ac ſubjectas cenſeri omnes, & ſingulas perſonas, quæ hujuſmodi Congregationi inſerviunt cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, qui præter congruum, atque aſſignatum ſtipendium, quo ſolo contenti eſſe debeant, aliquid aliud etiam ſponte oblatum, ut præfertur, a partibus, aut aliis, ſive pro expeditionis celeritate, ſive pro alio extraor-

dinario labore tam procurando, quam fcribendo, aut recognofcendo, aut examinando in ejufdem Congregationis Secretaria, aut Archivo, vel extra capere, five exigere poffint. Itaut quicumque contra hanc noftram voluntatem deliquerint, ftatutas in ipfis pœnas incurrant, cum effectu multari debeant, & puniri, non obftante quolibet ufu, aut confuetudine, quam quidem Nos ut abufum minime ferendum, & qui præfcribi numquam poffit, damnamus omnino, atque profcribimus. Utque inviolabili harum noftrarum literarum obfervantiæ, quantum cum Domino poffumus, confulamus, præcipimus, atque mandamus, ut moderni Officiales infra menfem a data earumdem, & qui deinceps fubrogati fuerint, antequam ad fuum obeundum munus admittantur, in manibus Cardinalis Præfecti, vel, eo a Curia abfente, aut infirmitate impedito, illius Cardinalis, qui in Congregatione antiquior fuerit, fuper omnimoda hujufmodi obfervantia fancte jurent. Declarantes infuper eos, qui adverfus juramentum hocce (tametfi id fperamus in Domino nunquam eventurum) aliquid vel minimum a partibus, five ab aliis quovis prætextu recipere aufi fuerint, officio privatos ipfo facto cenferi, cæterifque pœnis, & cenfuris fubjici debere, quæ contra violantes juramentum, & contra dantes, vel recipientes pro gratia, vel juftitia in Curia fancitæ funt. Xenia verò illa, etfi in pecunia, tenuiffima tamen, efculenta, & poculenta, quæ hujufmodi Officialibus tum menfe Augufti, tum recurrente Sacro Natali die Salvatoris noftri Jefu Chrifti, quolibet anno contribui confueverunt, & folent, præfentibus noftris literis minime prohibita effe, nec prohiberi decernimus, dummodo tamen fponte oblata tantùm recipiantur, non autem veluti Officio debita exigantur, receptæque in pecuniis ftrenæ inter eofdem Officiales juxta uniufcujufque gradum, & prærogativam, & fervatam hactenus partitionem dividantur. Cæterum ad occurrendum dubiis, quæ facile oriri poffent, harum ferie declaramus, quod, communicato femel cuivis petenti, & quidem

dem

dem gratis omnino, & sine ulla prorsus mercede, exemplari cujusvis generis documentorum, quæ in Secretaria Congregationis pro tempore habentur, si forte alterum, vel tertium, & sic deinceps exemplar a partibus exposcatur, merces quædam honesta quidem, ac moderata ab Officialibus præfatis exigi valeat. Quod si eveniat, authentica, quæ requiruntur, documenta in Tabulario adservari, quod dilectus Filius noster Franciscus Xaverius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Zelada, cum Secretarii eiusdem Congregationis munere summa cum laude fungeretur, in Palatio nostro Vaticano erigi, & constitui curavit, Officiali tum pro itineris incommodo, tum pro scripturæ labore, quam per seipsum diligenter, ac fideliter conficere, & conferre debebit, mercedem operi convenientem ut exigat, utpote rationi, & æquitati consonum, concedimus, atque permittimus. In qua tamen mercede percipienda caveant omnino prædicti Officiales, ne mensuram per legitimas taxas, & per approbatum Curiæ stylum pro singulis actibus præscriptam, & definitam excedant. Pro feliciori vero, & prosperiori ejusdem Congregationis directione, & statu volumus, atque mandamus, ut Viri cœlibes, & Clericali charactere insigniti deinceps assumantur, & quousque cœlibatum servaverint, retineantur, ut liberi, ac toti proprio muneri vacare valeant, & si fide, doctrina, & experientia commendabiles, & sustinendo oneri sibi demandato pares se probaverint, ad cætera etiam, majoraque munera conscendendi viam sibi parent. Certam autem legem, & formam in horum Officialium electione ex nunc præscribere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hisce nostris literis prohibemus, & interdicimus, ne de cætero ullus, sive Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui Præfecti, sive Præsul, qui Secretarii muneribus pro tempore funguntur, viventibus adhuc ejusdem Congregationis Officialibus, quemquam veluti Coadjutorem alicujus cum Officii consequendi jure, vel occulte, vel palam intrudant;

Quod

Quod si propter decessum eorum, seu quamvis aliam cessionem, dimissionem; amissionem, aut privationem alicujus ex prædictis Officialibus pro tempore deputatis oportuerit alium in ejus locum subrogare, tres dignos, probatosque Viros Secretarius Cardinali Præfecto proponat, qui idoneitate eorum matura consultatione discussa, digniorem, probatioremque inter eos eligat, qui, si nostrum, & Successorum nostrorum obtinuerit assensum, præstito per eum juramento, ut supra, ad Officium admittatur. Submoto itaque ab Officialium cœtu quocumque vel levi avaritiæ periculo, eos omnes enixe in Domino hortamur, ut pro salubri ejusdem Congregationis regimine, & Ecclesiasticæ disciplinæ integritate in omnibus, quæ ad eam spectant, pertractandis quam maxime cautos, oculatosque se præbeant, adeoque eorum virtutis emulatione majores in dies fructus, atque progressus inde proveniant, ac cognitæ, & spectatæ uniuscujusque ipsorum diligentiæ, & fidelitati a Sancta Sede Apostolica condigna præmia conferantur. Decernentes præsentes nostras literas etiam ex eo quod Officiales prædicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis legitima, & juridica de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel in controversiam revocari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & ab Officialibus prædictis, ac aliis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere irritum quoque, & inane quidquid secus super omni-

bus,

bus, & singulis præmissis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, & consuetudinibus quibuscumque, ac quibusvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, indultis, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet per Prædecessores nostros Romanos Pontifices concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie derogamus. Ne autem harum literarum ulla ignoratio obtendi possit ab iis præsertim Officialibus, de quibus agitur, volumus eas typis impressas in Secretaria Congregationis Concilii præfixas asservari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Novembris MDCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. Card. de Comitibus.



63

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI NOSTRI, DOMINI

P I I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P Æ VI.

SCHEDULA MOTUS PROPRII

Q U A

Nonnullæ Gratiæ Superviventiæ in Officiis Vacabilibus Romanæ Curiæ abrogantur.








R O M Æ MDCCLXXV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.



PIUS PP. VI.

MOTU PROPRIO &c.



NUPER siquidem Nobis innotuit, quod ab immediato Prædecessore Nostro recol. mem. Clemente PP. XIV. nonnullæ super Officiis Vacabilibus Romanæ Curiæ comperiuntur elargitæ gratiæ Superviventiæ nuncupatæ, quæ quidem præseferunt, ut quamvis ea per obitum illa obtinentium vacare contingant, nihilominus, absque devolutione aliqua favore Datariæ Apostolicæ, ut moris esset, de ipsis Officiis a Proprietariis, perinde ac si minime vacassent, disponi queat. Cumque jamdudum Prædecessores Nostri Romani Pontifices inter Cancellariæ Apostolicæ Regulas eam etiam condiderint, & Nos ipsi innovaverimus, qua Indulta superviventiæ su-

per fructibus Ecclesiasticorum Beneficiorum in Successorum præjudicium sublatæ sunt; ita etiam de similibus concessionibus super Officiis Vacabilibus, quæ in Cameræ Nostræ Apostolicæ detrimentum impertitæ erant, par judicium esset ferendum: Verum quia nil habuimus antiquius, quam servare æquitatem, quæ est justitiæ maxime propria; quas vel favore Locorum Piorum, vel justa ex caussa elargitas deprehendimus, præservandas fuimus arbitrati: E converso vero eas, quas nonnisi levibus caussis innixas fuisse compertum est, prorsus delere nimis congruum censemus. Motu igitur simili &c. omnes, & singulas Superviventiæ concessiones, quæ sive in Schedulis Motus paris, vel vigore Rescriptorum super supplicibus libellis ab eodem Clemente Prædecessore, ad quodcumque tempus duraturæ, super Officiis Vacabilibus Romanæ Curiæ in favorem Dilectorum Filiorum Marchionis Camilli Maximi, & Marchionis Hortensii Ceva, ac Innocentii Buontempi, & Nicolai Felicis Bischi, necnon Caroli Ippoliti, ac in dilectæ in Christo Filiæ Victoriæ etiam Bischi concessæ comperiuntur, sive Officia illa, ut vulgo dicitur, in eorum Capitibus, sive in aliis Personis existant, sed ad præfatos Marchionem Camillum, & Hortensium, necnon ad Innocentium, & Nicolaum Felicem, ac Carolum, & Victoriam, vel ad eorum aliquem, saltem quoad fructuum perceptionem respective per-

pertineant, præsentis Nostræ Schedulæ vigore penitus, & omnino revocamus, delemus, & annullamus, ac cassamus, tollimus, & abolemus. Effectum tamen revocationis, & abolitionis hujusmodi ad sex menses proximos tantum a data præsentis Nostræ Schedulæ enumerandos; ita tamen, quod omnia, & singula Officia ad ipsos, & ipsam, vel eorum aliquem, ut præfertur, spectantia proximo semestre elapso, vitæ periculis illa obtinentium juxta primævam Officiorum eorumdem naturam subjecta sint; ex Animi Nostri clementia suspendimus, ac differimus. Præsentem autem Nostri Motus proprii Schedulam, etiam ex eo, quod dicti Marchiones Camillus, & Hortensius, necnon Innocentius, & Nicolaus Felix, ac Carolus, & Victoria minime citati, nec auditi fuerint, neque Caussæ, propter quas illæ emanarint adductæ, vel verificatæ non fuerint; de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, vel retractari non posse: atque ita per quoscumque Judices &c. sublata &c., judicari, & definiri debere, etsi secus super his a quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus Clementis Prædecessoris præfati Schedulis, & Rescriptis hujusmodi, earumque, & eorum in Regesta relatione, necnon contractibus super Offi-

Officiis hujusmodi forsan initis : Nostra pariter, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die decima Martii 1775. Pontificatus Nostri Anno Primo.

PIUS PP. VI.

Registrata Libro II. Edictorum, Chirographorum, & aliorum Notabilium Datariæ Apostolicæ fol. VIII.

Antonius Sigismundus Sisti Officialis.

Anno a Nativitate Domini Millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, Indictione octava, die vero decima octava Martii, Pontificatus SS. Domini Nostri PII PAPÆ VI. Anno Primo, supradicta Schedula Motus proprii ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Lateranensis, & S. Pauli extra Muros, necnon S. Mariæ Majoris, prout similiter ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, dimissis Copiis, ut moris est, affixa fuit per Nos Antonium Besani, & Josephum Pelliccia SSmi D. N. PP. Cursores.

Petrus de Ligne Magister Cursorum.